9D

D

R.75
6/20
C 26
C. 8

S…

otion… igna

… la

Eul 24

Nr 17

N.

, &

dar

i17779613
i17779698

Ubr 1314826
1314385

# ANTONII MIZALDI MONSLVCIANI PHÆNOMENA SIVE DISPVTATIO,

omnium aëris commotionum ſigna, ab iis quæ in Cœlo, Aëre, Aqua, & Terra palam apparent quatuor Aphoriſmorum ſectionibus, methodo quàm maximè perſpicua, diebus ſingulis fideliter ob oculos ponens,

*EIVSDEM PROLEGOMENA, IN QVIBVS nõnulla de Brutorum præſagione, & aëris mutationum ex Solis phænomenis prædicendarũ, certa methodo.*




*PARISIIS,*

Apud Bartholomæum Macæum, in monte D. Hilarij, ſub Scuto Britanniæ.

M. D. LXXXVII.

*Cum Priuilegio Regis.*

# ANTONII MI-ZALDI MONSLVCIANI PHÆNOMENA SIVE DISPVTATIO,

omnium aëris commotionum ſigna, ab iis quæ in Cœlo, Aëre, Aqua, & Terra palam apparent quatuor Aphoriſmorum ſectionibus, methodo quàm maximè perſpicua, diebus ſingulis fideliter ob oculos ponens,

*EIVSDEM PROLEGOMENA, IN QVIBVS nõnulla de Brutorum præſagione, & aëris mutationum ex Solis phænomenis prædicendarũ, certa methodo.*




*PARISIIS,*

Apud Bartholomæum Macæum, in monte D. Hilarij, ſub Scuto Britanniæ.

M. D. LXXXVII.

*Cum Priuilegio Regis.*

# AD REVERENDVM IVXTA AC ERVDITVM MATISCONVM EPISCOPUM, PETRVM CASTELLANVM, Chriſtianiſſimi Francorum Regis FRANCISCI Ἀναγνώστῃ, Antonius Mizaldus Monſlucianus.

*PErdocte* PRAESVL, *& quàm facundiſſime,*
*Tui memoria pertinax ſemper mihi*
*Inhæſit, ex quo flore te vidi tuo*
*Vigere ſtudiis litterarum,* BITTVRIX
*Dum te reciperet hoſpitem doctiſſimum.*
*Ac dehinc honeſta proſequentem, à maximo*
*Et liberali Rege* FRANCISCO, *aſſequi*
*Iuſtos honores, & laborum præmia.*
*Tum gratulabar verè: ſed nunc iam magis.*
*Quòd Principem clarum, doctum, gratum, bonum,*
*Cui totus orbis nullum proferat parem,*
*Hîc ſis adeptus: dextro planè ſydere.*
*Mira eruditio huc te prouexit bene,*
*Certúſque rerum ac multus vſus omnium:*
*Quiêtis vnus (ingens laus eſt) Regi perplaces*
*In deligendo diligenti, vt diligat*
*Non quoſlibet, ſed eruditos & bonos:*
*Quibus, Deus! quantum gratus? non quæritur*
*Illis, magis qui ſoſpes præſit ac diu.*
*Nam ſe patrem quàm Regem præbet veriùs.*
*Reuerentiam vnde, non metum, parat ſibi.*
*Hunc* PRAESVL *alme, virque quàm doctiſsime,*
*Noſtros labores (ſi quidem dignos tuo*
*Fauore cenſes: aut vnius æſtimas*
*Aſsis) videre cura. Quid poſſis, ſcio.*
*Hoc da mihi. vix credas quantum geſtiant*
*Regis venire in proſpectum.* PRAESVL *bone*
*Eia parati te ducem manent, voca:*
*Forſan dabunt voluptatis vel tantulum.*

# FRANCISCO FRANCORVM REGI CHRISTIANISSIMO, ANtonius Mizaldus Monſlucianus, S. P. D.

GLORIOSVM eſt, FRANCISCE Rex Chriſtianiſſime, & eruditorum omnium calculis maximopere probatum, illuſtriſſimam tuam Maieſtatem ſingulari cura conſtituiſſe, vt qui in hac ſtudiorum tua metropoli Lutetia (te Mecœnate) publicè docerent, partitis inuicem operis, arteis vniuerſas ampliſſimo cũ fructu quotidie diſſeminarent. Fuit maiorum noſtrorum votis diu res ea expetita, & tandem Dei Opt. Max. ſummo beneficio, tuóque planè liberali fauore conceſſa. Cui ex literatorum populo cum primis eruditi, & in vindicando, tuendóq; literarum iure admodum propenſi, hodie nõ dicam gratulãtur, ſed vt faueãt, vndique ceu dato à te ſigno, certatim accurrunt: & quod Academię tuæ legendo, aut ſcribendo profuturum ſperant, ſedulò depromunt. Quod ego exactis hiſce menſibus cum obſeruarem, ne omnino ἀσύμβολος, & in medio literariorũ operatorum theatro ceſſator haberer, cogitandum mihi duxi de ferẽda ope aliqua. Conferentibus itaq; aliis alia, hunc EPHE-

MERIDVM AERIARVM libellũ, in Academiæ tuæ vſum emittere viſum fuit : tuámque Sublimitatem, FRANCISCE Rex piiſſime, in eius patronum, & (ſi pateris) arbitrum honorarium de omnibus eligere, cui diſciplinarum & ingeniorum turbulento hoc ſeculo curã à Diis immortalibus demãdatam eſſe intelligimus, eximiæ cuiuſdã pietatis in nutrices Rerumpublicarum literas argumẽtum ſane quàm perſpicuum, ex quo veræ laudis quantum in omni omnium eruditorũ choro iam tibi paraueris, & (cũ olim fortaſſe quieuerit egeſtas, ingeniorũ prodeſſe volentium expugnatrix iniuſtiſſima) locupletiùs ſis paraturus, dabitur alias ſcribendi locus. Ergo FRANCISCE Rex, ex omnibus quos hic Sol vidit vnquam, de literis & literatis optimè merite (qui nullum de Muſarum cœtu ſoles excludere, nec triſtem vlla ex parte cum Auguſto dimittere: ſed in auribus, & oculis, Traiani exemplo, libenter habere: & facilem, quod in Pompeio laudat Tullius, te præbere) dignabitur incomparabilis tua Maieſtas, lucubratiuncularum noſtrarum quicquid eſt (ſi tamen aliquid eſt) quod hodie hilariter offerimus, pacato vultu, ac manu (vt omnia) non illiberali excipere: & à publicorum negotiorum cura, regníque onere (quod non ſine inſigni honore, & pari gloria fœliciter ſuſtines) ſiquando reſpirare dabitur,

ſeſquihoram illis impendere: ſi nimium, ſubtrahe dimidium. Quod à me dictum quis non exiſtimabit, quòd Regem πολυΐστορα, qualẽ te eſſe conſtat, meis chartulis indigere putem: quin veriùs vt habeat ſereniſſima tua Maieſtas, in quo poſt grauiſſimas occupationes ſeſe oblectet, ac manifeſta in occultis Naturæ veſtigia diuinitatis palàm intueatur. Nam ſiue ſurſum, ſiue deorſum, oculos conuertet: domi, aut foris aget: præſentiſſima per diem & noctem futurarum aëris cõmotionum ſigna, ab his quę ſub proſpectum vndique veniunt, ſumma cum voluptate quotidie excipiet. In Cælo: à Sole, Luna, Stellis, & quæ circà apparent. In Aere: à nubium pictura, ſitu, & conſiſtentia: Ventis item, & ignitis ſpectris, necnon meteoris reliquis. In Aqua: ab his quæ inibi verſantur & circunſtant. In Terra: à montibus, ſyluis, rebus domeſticis, omnis generis volucribus, animalibus tam manſuetis, quàm feris, inſectis, reptilibus, & aliis quamplurimis. Quarum rerum obſeruationes partim hiſce oculis adnotauimus: partim ab antiquis, & qui hodie toti in id ſunt permultis, fideliter excepimus. Fateor cõtemplationis iſtius ſigna, in rerum natura adhuc ſupereſſe multa; quæ paulatim σὺν τῷ Θεῷ, καὶ χρόνῳ ſeſe tandem proferent. Nam vt doctè ſcribit Aratus,

Πάντα γὰρ οὔπω
Ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γινώσκομεν, ἀλλ᾽ ἔτι πολλὰ
Κέκρυπται· τῶν αἴ κε θέλῃ καὶ ἐς, αὖτικα δώσει
Ζεύς. ὁ γὰρ οὖν γενεὴν ἀνδρῶν ἀναφανδὸν ὀφέλλει
Παντοθεν εἰδόμενος, πάντη δ᾽ ὅγε σήματα φαίνων.

quod eſt,

Omnia nondum
Ex Ioue mortales cognoſcimus: occulit ille
Plurima, dum libitum fuerit quæ tradet: apertè
Nā iuuat hic hominum genus, vndique viſus: eiq;
Demonſtrat paſſim ſignorum plena theatra.

Vt vt ſe res habebit, dignabitur inclyta tua Maieſtas, cum Artaxerxe magno Perſarum Rege, nō donum, ſed donantis animum promptum & alacrem ſpectare. Mihi certè abundè ſatis erit, vel tantillum placuiſſe. Quod factum ſi intellexero, conatus noſtros ad meliora (quaſi ſuffuſa ad incendium frigida) vehementer excitabit. Sed hęc ſatis, prę ſertim apud eum, cui populi commiſſi, & magna negotia curæ. Bene itaque fœliciter Valebis FRANCISCE Rex Chriſtianiſſime, quem Regno, & literis diu incolumem ſeruare dignabitur, qui Regum corda ſolus in manu habet, & quò viſum eſt deflectit. Lutetiæ in collegio Bellouaco pridie B. Catharines, An. domini M. D. XLVI.

# IN AERIAS EPHEMERIDES Prolegomena, ad rerum naturæ cãdidatos: vbi de brutorũ præſagitione, & prædicendarum auræ mutationum ſeria methodo ex phænomenis, nõnulla, per Antonium Mizaldum Monſlucianum.

*BOnorum omnium ſecundum Deum nobis author Hippocrates, cuius vocem pro numinis cuiuſpiam oraculo vbique cum Galeno agnoſcimus, Aerem diuinum neſcio quid eſſe, & vires cum in temporum tum corporum mutatione non exiguas habere, rite dixiſſe mihi ſemper eſt viſus: nec temere mea quidem ſententia: nam vt antiquæ originis ſpiritus quidam planè ἀθέσφατος medium vniuerſitatis locum vaſtiſsimè occupare, & omnia quæ tegit cælum colluſtrare, rerúmque mundi omnium genus omne, ſiue in terra, ſiue in aqua (vt interim ſolidiſsima, & profundè abſtruſa reticeam) ob eſſentiæ tenuitatem, cum cœlo inſigniter agitare, afficere, permeare, mutare, imbuere, mouere, vegetare, ac ſuſtinere, deprehenditur. Quæ res Hebræorum philoſophos excitare potuit, vt inter mundi elementa illum minùs collocarint: ſed velut glutinum quoddam ſuperiora inferioribus alligans vbique conſtantiſsimè habuerint.*

*Aer antiquæ originis in ſe diuinũ neſcio quid habet*

*Hebræorũ philoſophi.*

*A quorum veſtigiis non longe exſpatiantes peritiſſimi rerum naturæ Pythagorici, organum ſupra terram & infra perpetuò reboans, & ſumma imis (ceu περισαζωγεῖς quidam) concilians, itidem dicere nihil ſunt veriti. Quod etiam intellexerunt AEgyptij, Deorum nuntium illum appoſitiſſimè nuncupãtes: nã cæleſtium corporum excepta ſemel ſpiracula, veluti ligatus quiſpiam, deorſum via ſenſum omnem fallẽte lõgè lateq; impertit: ac eorum quæ in tellûris, & aquæ globulum οὐρανόθεν demittuntur, vel mox adfutura impẽdent, præconẽ haudquaquam mendacem agens, fideliter depromit. In quo perinde atq; in ἀγράφῳ, & elemẽtari naturæ libro, æthereis ignes ſuis radiis, quaſi παγχρώῳ quodam penicillo, pluuiarum, niuis, grãdinis, tonitruorũ, vẽtorũ, & ex his tẽpeſtatũ imagines varias, ad hæc ſiccitatis, frigorũ, tẽporis, terræmotus, fertilitatis, ſterilitatis, viuos colores, & (vt paucis cũ Manilio colligã) rerúmq;, hominúmq; ruinas, hactenus appinxiſſe, & prudẽtũ oculis, quaſi de alta ſpecula, legẽdum, vidẽdúmq; palàm admouiſſe, libris & hiſtoriis nõ tã eſt teſtatum, quã multorum ſeculorũ obſeruationibus probatũ. Hinc nunquam (vt habet poëta) ſunt cælo ſpectati impunè Cometæ. Hinc ignita, vel quomodocunque aliter ſub variis figuris in aëre viſa temere haudquaquam fuerunt priſcorũ annalibus adnotata mille prodigia,*

*Aer decretorum cæli nuntius, et præco.*

*Aer meteororum cellula veluti promptuaria.*

*Virgilius in Georg. & Plin. lib. 2.*

*publicarum*

publicarum calamitatum initia, magnorúmq; virorum exitum (vt ſæuiſsima bella taceam) ſuffragante cæli vultu, minimè obſcurè teſtata. Quibus, ſi videbitur, mẽſtruas imò verò hebdomadarias & diurnas temporum cõmotiones attexemus: quas παρήλια, ῥάβδους, παρασελήνας, Irides, eclipſium colores, traiectiones, & variæ picturæ nubes à Sole & ſtellis, agente cælo, fabricatas, paſsim in aere cõmonſtrare, ecquis per Deos immortales, niſi fortaſſe Epicuri de grege porcus, contra tot ſeculorum experientiã, inficiari audebit? Exhibet itaque aer ſuſtinétque certiſſima, quoad eius fieri poteſt, cæli decretorũ ſigna, rerum ſublimiũ peritis vt familiaria, ita admodũ exploratа. Quorum particeps nõnihil eſt aqua, & quæ in ea vndecunque natat terra, quæque inibi degunt animalia pleraque: ſed ita, vt iam dictis perinde atque paſsiua actiuis ancillentur: & incertam, ſi ſuperioribus cõponas, certitudinem præ ſe ferant. Verum enimuero, quæri hic audio & in controuerſiam (quæ adhuc de iudice pendet) venire, Quî fit vt ſanctius hoc animal, mẽtiſque capacius altæ (nimirum homo, cui ex omnibus, os ſublime patet) brutis quæ natura prona finxit, & ventri duntaxat obedientia, inferius, quod ad tẽpeſtatum præſagitiones attinet, habeatur: adeóque vt nulla nõ dicam ſibi, ſed ne aliis quidem illarum ſigna foris vel edat, vel publicè obſeruanda

*Aer cõmotionum aurae velut tabella depicta.*

*Inferiora ſuperioribus ancillari.*

*Hæc ex Platone, & Ouidio.*

*Quæſtio admodum ardua.*

ſeruãda relinquat. Nodũ hunc vindice planè dignũ, quia varia eruditorũ hominũ ingenia inſigniter exercuiſſe intelligo: prgterea moroſulos aliquot, hic factũ ſibi abundè ſatis nodũ fuiſſe inclamare: dabitur venia, ſi quod ſentio, liberè præcipito. In primis itaque vtcunq; oſtẽdere conabor, quãta prærogatiuarum maieſtate, homo ſui iuris factus, reliquas animantes (etiam ſi prognoſtica ſpectes) excellat. Poſtremò qua via ad præſagiendum ferantur bruta, & cur ab ea alienus eſſe videatur verè μικρόκοσμος homo. Conuenit inter eximios ſacræ, prophanæque Philoſophiæ profeſſores, hominem Dei Optimi Max. opificium, ſupra omne miraculum admirabile, duobus ex diametro pugnantibus cõformatum eſſe: corpore terreno, proindéque corruptibili: & animo cæleſti, æthereo, & verè immortali, inſuper, illo quod cum brutis habet commune, ad ſeruitium: hoc, quem diuinarum intelligentiarum conſortem, ad imperium vti. Iam cum animus ipſe diuinæ auræ (vt ex Academia tranſtulit Maro) particula planè ſit, cum rationis, & conſilij, futurorúmque perſpicientiæ, necnon ſublimium rerum & diuinarum particeps habeatur: cum cæleſtem igniculum, & ſupernæ originis radiolum, tum inde à poſitis vitæ fundamentis tanquam comitem, & futurorum interpretem cæca via deſuper illapſum excipiat: atque (niſi fortaſſe

Scribendorum ſcopus & propoſitum.

Homo duobus ex diametro pugnantibus conſtat.

&

Animi diuinitas & excellentia cui origo cæleſtis.

Ex Platone & Virgilio.

quantùm

quantùm noxia corpora tardant) contubernalem agnoſcat: crediderim haud dubiè bene natos homines, qui corporeis ſordibus, terreníſque amoribus, diuinum hoc ſacrarium minimùm polluerunt, nec cælestis ignis domeſticam ſcintillam fœdiſsimis voluptatum ſtercoribus obruerunt: præterea quæ ſurſum ſunt, nō quæ ſupra terram affectarunt: duce animo, comite cælo, & operante vtrobique Deo, futuras non dicam aeris conſtitutiones, ſed multarum (etiam à tergo longè venientium) rerum aliarum mutationes, cum priuatas tum publicas (quod vates, Sibyllæ, & plærique fecerunt) prænoſcere, augurari, ac præſagire perfacilè poſſe. Idque certius multò quàm bruta: quæ diuinitatis hacce particula deſtituta, duntaxat quod præſens eſt, vel mox adfuturum inſtat, naturali ſagacitate ſequi, videre, obire, & ſentire planum eſt. Nec aliunde quàm ab aere: qui quòd in hanc vel illam qualitatem ſeſe (vrgente cælo) componat, idcirco illorum ſenſus motuum corporis aurigas, (quibus maximè aguntur) titillare, & ad ſigna foris edenda (vt poſtea dicemus) promouere, deprehenditur. A quibus homo, cui (vt ſcripſit poeta) ineſt fato rerum prudentia maior, quique vitam (quemadmodum illa) in ſilentio minimè tranſigit, alio auocãte cogitatione, cõſilio, ratiõe, & ſtudiorum curarúmque

*Animi ſui iuris facti, in vaticinãdo præſtantia.*

*Bruta homine in præſagiendo modò ſibi imperarit inferiora.*

*Aer in brutorum corpora multũ poteſt.*

*Homo animal prudẽtiſsimũ & maximè politicum.*

Cur homo ex aere non præſagiat.

curarúmque numeroſiſsimo grege citiſsimè diſtrahitur. Quæ, quia ſenſus ligant, & quod exterius offertur, ſiue ab aere, ſiue aliunde irrūpat, extēpore auertunt, præripiunt, vel in totū abolent: mirari nequaquam licet, ſi ex aëre quem reuera cum reliquis animalibus cōmunem habet, propriè nō præſagit, illiúſque motus è veſtigio non admittit, nec editis (vt bruta) ſignis foras eliminat. Quāquam locum etiam hic habere poteſt, quod de effectis cum præſentibus, tum futuris, ſolus per præuiſas cauſas ratiocinari, & voce, omni geſtu, motu, ac ſigno exteriori efficaciore, illa palàm depromere natus eſt. Quæ res quēadmodum interiorem potiorémq; hominis facultatem inſigniter exercet, ita exterius occurrentia ab apprehenſionis & cogitationis promptuario celerrime excludit. Queis (ſi videbitur) ex Theophraſtro & Themiſtio cæleſtem intelligentiam, cauſam non errantem addes: qua agitante, homines futura loqui poſſe, etiam ſi eorum quæ dicunt nihil intelligant, tam facile (opinor) fateberis, quàm brutorū genus omne ab ea alieniſsimum eſſe. Sed his relictis, partem quæ promiſsi noſtri eſt altera, rudius (proindéque planius) vt feret ingenij tenuitas, vtcunque aggrediamur.

Homo ratiocinari ſolus poteſt.

Bruta ſenſitiua et mortali anima prædita eſſe.

Indubitatum habet ſyncera omnium linguarum Philoſophia, & omni ex parte cōfeſſum, bruta Græcis ἄλογα, nobis muta, & irrationalia nuncupata, mortali

mortali anima & ſenſitiua duntaxat prædita eſſe: quæ vna cum illorum corpore vt naſcitur, iam illo intereunte perit: atque ob id actiones alias obire non conſtat, quàm quæ ſunt carnis, & naturæ per propria organa, nulla præmonſtrante viam ratione, corruptibilis. Quanquam non deſunt qui mirabilem induſtriam, nõ dicam in magnis animalib⁹, verumetiam minutulis, vt Aranea, Ape, Formica, & aliis contemplantes, rationis particulam præ admiratione illis tribuere nihil ſunt veriti. Sed humanæ prudentiæ hoc (vt verè dicam) idωlum, & ingenij ac rationis (vt loquitur Philoſophus) ſimilitudo, veram rationem, & intellectum illis ineſſe non probat, non cogit, non vincit: etiam ſi particularia quædam moliri, ſentire, & imaginari donemus: quod vno ſemper modo in propria cuiuſque ſpecie fieri intelliges. Nam quælibet Hirundo nidum eodem modo ſemper facit, & Aranea quælibet tendiculas arte ſimili cõtexit. Ad hæc Formica quæuis, æſtate frumẽtũ nulla futuri prouidentia (vt multis eſt viſum) ſed præſentis cibi auiditate ſimiliter colligit. Et Ouis quælibet à Lupo metum eodem modo concipit. Praeterea Perdix omnis aucupem (ſeſe paulatim ſubducendo) ſimili via ludificatur. Quæ ſi ſunt, vnde ergo (inquies) brutorum multorum priuatæ geſticulationes, quales in circulatorum, hiſtrionúmue, & ludionum

*Vnde quibuſdã bruta animalia, rationalia exiſtimata.*

*Similitudo rationis, nõ vera ratio brutis ineſt.*

*Naturarũ in animalibus proprietates.*

equis

*Canum, & equorũ motorij geſtus vnde.*

equis, canibúſq;, & aliis, plurimas animaduertimus? Has, vt ſeriò loquar, non de orationis aut verborum ſenſu vllo, quin potius de pronunciantis geſtu, aut motu extorqueri, de experientia conſtanter tibi fidem facimus: perinde ac ſi Cani minetur quis, vel Equo, quemadmodum Mezentius apud Vergilium, blandiatur.

*Humanorum operũ animalia aliquot æmula.*

Nec valebit quòd quædam humanis operibus ſimile neſcio quid moliuntur: vt Apes dum ſua aluearia extruunt, & Hirundines dum iuxta plaſticen nidos architectantur. Adhæc Araneæ dum ad geometricum artificium ſuas telas componunt.

*Brutorum affectus humanis ſimiles.*

Inſuper quòd affectibus quaſi humanis nonnihil ducantur: vt Canes extinctos dominos eiulantes, & illis plerunque commorientes. Porrò quòd aſtutè (vt homines) ſimulare diſſimularéque norunt: vt Vulpes, & Equi.

*Animaliũ naturæ variæ & penè ſtupẽdæ.*

Inſuper quòd voces humanas aues modulantur, ac referunt: cuiuſmodi ſunt Pſittacus, Coruus, & Pica, quam ſi non videas, eſſe negabis auem. Rurſum quòd humanarum virtutum ac vitiorum ſimulachra quędã exhibeant: vt prudẽtiæ, Apes, Araneæ, Formicæ, & alia: fidei, Canes: ſuperbiæ, Equi: pietatis, Ciconiæ: doli, Vulpes: ingratitudinis, Hirundines: & ita deinceps.

*Electione, vel intellectu nihil agũt bruta.*

Nã hæc (qualiacunque fuerint) nulla electione, neque arbitrio, neque intellectu, & ratione agere conſtat: ſed naturæ occulto duntaxat inſtinctu, & abſtruſæ ori-

ginis

ginis impetu: ex quo factum videas, vt quandiu viuant, quod ante pedes ſitum habent, futuri admodum ſecura, ſolùm proſpiciant, corporíque omnium maximè inſeruiant. Cuius motus, quia ad aëris affectiones (vt antè monuimus) in primis componunt, neminem captare debet admiratio, ſi illas & ſentiunt, & geſtu, voce, aut alio quouis modo foras, antequam cogitent (ſi tamen cogitare mihi concedis) ilico deponunt.

*Motus animaliũ prognoſtici, ad aërem referendi.*

Ampliùs, quia cognitum eſt cauſam primam per ſecundas in hæc inferiora agere, & ſingula ſingulis, propriíſque dotibus, ac facultatibus, immenſam opificis bonitatem & ſapientiam ſpirantibus donare: abſurdum fortaſſe non erit, brutorum nonnullorum actiones, futurorum ſigna, cæleſtium corporum (quantum licet) diſpoſitioni per aerem (in quo & aluntur & reſpirant) conſonantia ſtatuere: híſque propenſiones quaſdam & inſtinctus ad peculiare quidpiam agendum, deſignandúmve, vnicuique ſuos aſcribere: quibus aurigantibus, & corporis theatri præfectura potitis, mira ſagacitate tempora præuidere, ac pluuias, & ventos, necnon ſerenitates, ver, hyemem, peſtes, cadauera, & alia, motu, aduentu, olfactu, voce, geſtu, & ſimilibus cælo duce præſagire poſſe, opinor non reclamabunt candidè eruditi. Sed

*Actiones brutorum quorũdam & ſigna cælo ſubſcribere.*

*Arcanum neſcio quid & abſtruſum in animalibus inesse.*

Clau-

Claudium Ptolemæũ his de rebus paucis ſua lingua accuratè Philoſophantẽ ex vetuſtiſsimo codice audire ſuperuacaneum non erit. πολλὰ μὲν ἐκ μείζονος δυνάμεως (inquit) καὶ ἁπλουστέρας τάξεως, καὶ παρὰ τοῖς πανὺ ἰδιώταις προγινωσκόμενα θεωροῦμεν, μᾶλλον δὲ καὶ παρ' ἐνίοις τῶν ἀλόγων ζώων, ὡς τῶν ὡρῶν καὶ τῶν πνευμάτων τὰς ἐτησίους διαφόρας, τούτων γὰρ ἐπίπαν ὁ ἥλιος αἴτιος, καὶ οὐρανός. quod eſt, Verùm multa excellentiore quadam vi, & ſimpliciore ordine præcognoſcere videmus, non modò penitus indoctos homines, ſed bruta animalia quædam: ſicuti ſunt temporum, & flatuum annua diſcrimina: quorum cauſa in Sole, & cælo delitescit. Nec temere mea quidem ſententia. Nam (vt ille idem alibi teſtatur) εἴδη κατώτερα πάσχει ὑπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν, formæ inferiores, à cæleſtibus afficiuntur, illíſque (velut particularia vniuerſalibus, & paſsiua actiuis) ſeruiunt: reptantíque deorſum per aërem ſyderato defluuio facillimè parent. Hinc fortaſſe Gallinaceus Gallus Phœbi ales, de amnibus, ſurgentem Solem, & per ſubterranei hemiſphærij cardines peragrantem, etiam intra denſiſsimos parietes præſentiſcit, & expeditiſsimè ſalutat, partiumque noctis diſtinctionem, omni horologio certiùs innuit: quam intelligentiam vt habet patientiæ archetypus

Ptol. lib. 1. Apoteleſ.

Ptol. in centiloquio apho. 9.

chetypus Iob, ecquis Gallo dedit? Sic Miluius (vt eſt apud Hieremiam) in cælo tempus ſuum agnoſcit. Formicæ minimum animal, ſed tamen prouidum, interlunio (vt ſcribit Plinius) quieſcunt, plenilunio vel totas noctes operantur. Auem Parram oriente Syrio non apparere donec occidat, & Vireonem initiante duntaxat ſolſtitio prodire, idem author eſt. Sic Hirundines, Grues, & volucrum aliæ pleræq;, anni diſcrimina, fines, & initia nobis ob oculos certò ponũt. Domeſticæ Luſciniæ (præſertim mares) ineuntẽ brumam, aut (ſi mauis) hybernũ ſolſtitiũ, cantu admodum vocali tacentibus reliquis ſuauiter produnt: quod nos in vna, atque altera, ſumma cum admiratione apud amicos rerum naturæ, & occultæ philoſophiæ ſcrutatores ſedulos non ſemel ſumus experti. Sic Canes inferiores cæleſtium canum coſmicum exortum, & vires cum Sole præter reliqua animalia (leones excipio) ſentiunt, expauent, & propter rabiem admodum deteſtantur. Armenta cum gregibus maleficorum ſyderum congreſſum & eclipſes in Ariete, Tauro, ac Capricorno (ſeruatis cautionibus alijs) non ſine graui iactura & lue publica agnoſcunt. Quæ res poetas homines (vt Græcè, veréque dicam) φιλοσοφωτάτους, καὶ ἀστρολογωτάτους, fortaſſe permouiſſe potuit, vt cælum atq; adeò ſphæram octauam pẽnatis animalibus, reptantibus,

*Cap. 8.* | *Vide Pliniũ li. 9. & 14.* | *Inferiora à ſuperioribus affici.* | *Vnde ſphæra octaua omni genere animaliũ ſcateat.*

quadrupedibus & aliјs opplerent, certiſque diјs (quibus planetarum orbes ſcatent) ſacrarent, & interpretes adderent. Sed vereor ne hæc capi ab infimis rite poſſint. Illis itaque vtcunque delibatis, ad humiliora me confero, & phyſicum (quoad eius fieri poteſt) deinceps ago.

*Brutis phãtaſia pro ratione.*

Brutis ſolam phantaſiam (cui, vt princeps Academiæ ſcripſit Plato, ſatellites deſtinati ſunt ſenſus) pro ratione haberi, receptum eſt: qua impellente, nec alium quàm qui eſt ab aere & tempeſtate (conſilij inopia) diſcurſum admittente, per tepidam cæli auram, ſerenam, tranquillam, & vernam, exhilarari, garrire, venerem exercere, nidulari, & plauſibilia omnia aggredi: per obſcuram verò, caliginoſam, frigidam, humidam, & hyemalẽ, turbari, gemere, latitare, & quiduis triſte obire nemo non videt: eáque omnia (vt diximus) antè efficere quàm cogitent: quòd cum aere ſtatim adſint & abſint motrices rerum iſtarum cauſæ: quas quia occupationum & ſtudiorum turba non premuntur, vt actutum excipiunt, ita aduertẽtibus palàm in ſigna ad vſum traducenda, cõmodùm exhibẽt. quod totum ad aerẽ (vt denuo id repetam) cõmunem viuentiũ omnium officinam, corpora, & cũ his ſpiritus Hippocrati impetum facientes, ſic vel ſic (vt poſtea dicemus) attẽperantẽ, cum vniuerſa hac in parte rite philoſophantiũ ſchola

*Spiritus in omnib⁹ motores, & impetum facientes.*

ſchola detorquere, & ad prognoſticas cõmotionũ auræ præſenſiones in illis adaptare, nihil dubitabis: idque præſagio naturali: quod equidem Iamblichus philoſophus acutiſſimus à ſenſibus, & occulta corporum cum aere ſympathia, vel alia virium naturalium in animalibus agitatione emergere, præclarè, vt multa exiſtimauit. Nam ſolo cõſentiẽtis naturæ impetu viget: vnde bruta ſibi duntaxat ſentire, nobis verò præſagire, obſeruantur: & de commodis aeris, quorum adminiculo victus, citò, tutò, & iucundè paratur, ſibi in primis lætari: de incommodis verò, vnde cibi penuria, & difficultas, triſtari: quod, vel me tacente, quiuis Sole meridiano clarius percipit. Verùm alia plus alijs ſentire, & pro vario naturæ cuiuſque, ac dignitatis, necnon ordinis (vt cum Platone loquar) gradu, vt citiùs, ita certiùs præſagire, apud me dubium non eſt. Cauſam ſi quis ſeriò exiget, ad eum in cuius manu ſcientiæ & ſapientiæ omniũmq; arcanorum theſauri latent, clementer remittam: quos dum collibitũ erit, vt hæc & occulta alia pleraque intelligamus, nobis aperire dignabitur. Quanquam naturarum ἰδιοτροπίαν, & corporum (vt loquuntur) diſpoſitionem, quæ cauſarũ plus dimidio plerunque eſſe ſolet, ſuam hic prærogatiuam agnoſcere poſſe non inficior. Sed in viam (ſi placet) redeamus, & Platonico Vergilio in probanda

*Vnde præſagia aeris in brutis.*

*Varij naturarũ & dignitatũ gradus in animalibus.*

banda brutorum præſagitione nobis ſuffraganti, patientem præbeamus aurem.

verg. lib. I. Georg. ſub finem.

Haud equidem credo (inquit) quia ſit diuinitus illis
Ingenium: aut rerum fato prudentia maior:
Verùm, vbi tempeſtas, & cæli mobilis humor,
Mutauere vias, & Iuppiter humidus Auſtris
Denſat erant quæ rara modò, & quæ denſa relaxat:
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture Corui.

Homo animal diuinū & præſtantiſſ.

Animalium corpora aeris commotiones ſequi.

Audis itaque nulli animantium ab homine, diuinius & præſtabilius ingenium datum fuiſſe. qui quia prudentia (vt dictum eſt) conſilio & ratione omnia diſquirit, temperat, & agit: hiſque quaſi ſænis tortoribus naturalem inclinationem debitè (quoad eius fieri poteſt) coercet, & ne corporis libertati ſubinuitante aere ancilletur, arctiſſimè infrenat: vnus inter nubila gaudere, & in ſerenitate triſtari poteſt: quod cæteris animantibus negatum eſſe conſtat: quas ſolius naturæ, & ambientis aeris calcaribus (vt ſic dicam) agi, & ad quæuis præcipites, qua data porta, excluſo conſilij & rationis dictamine raptari, non eſt in tanta luce quod amplius à me illuſtrari probarique contendas. Voluit itaque (vt rem omnem paucis colligam) diuina

Maronis philoſophia, corpora, & illorũ hoſpites animos, aeris commotiones temperaturáſque ſequi: quod ab Hipp. Heraclito, Democrito, & antiquorum pleriſque depromptum eſſe non tam addubito, quàm verum eſſe exiſtimo. Paſſim etenim de illis audire facile eſt, permultum referre quali in aere corpora ipſa locata ſint: ex cuius habitudine uaria, humores imaginationum pictores variè fermentari, & hinc ſtudia diſſimilia, diſparéſque animorum motus proſilire, cum Platone & Ariſtotele, fidem (etiam de libro) abundè fecit Galenus. Iam verò cum aer ipſe, imò verò mundus hic inferior, totus quantus eſt, ſuperiorũ corporũ lationibus neceſſariò (vt Peripatetica perſonat philoſophia) ſubijciatur: cum ſtellæ coloni cæleſtes, in aere perinde atque in patentiſſimo campo, ſua quotidie longè latéque ſpargant ſemina: cum in cæli & terræ coniugio (quod omnium primi docuerunt Pythagorici) vnus aer ſit veluti paranymphus, in quo cæleſtiũ radiorum quandam quaſi velitationẽ, quotidie fieri conſtat: ecquis amabo inficiabitur prima commotionum ſuarum momẽta cælo debere? Sanè ſi pluuiarum, ventorũ, niuis, tonitruorũ, traiectionum, cometarum, aut alterius meteori generationem prima ab origine ſpectas, Ariſtotelem imò verò philoſophantium familias omnes, vbique inclamare audies, So-

*Corpora & illorũ hoſpites animos aeri ſubſeruire.*

*Galenus in libello quòd animorum motus, &c.*

*Ariſtoteles in meteor.*

ſem & aſtra de infimo terræ & aquæ globulo, aeri materiam tametſi informem in eos vſus ſubminiſtrare. quam auxiliares manus præbente cælo dum aggreditur, elaborat, & fingit: mirum non eſt ſi, vt Protheus alter, in varias formas, & naturam, pro materiæ qualitate, quantitate, motu, loco, & vigentium ſyderum energia, ſeſe ſubinde tranſfigurat: eáſque mutationum vices, paratis corporibus, in eo velint nolint (ſiue vigilent, ſiue dormiant, ſiue quid aliud agitent) non dicam verſantibus, ſed per os ac nares reſpirantibus, & qualis qualis fuerit (arteriarum cuti propinquantium anaſtomoſes tacebo) in pulmones, cor, cerebrum, denique corpus vniuerſum emulgentibus, facilè impartire, nullus eſt vel ἀφιλόσοφος, καὶ ἀνιατρολόγητος (vt Vitruuij verbo vtar) qui negare pergat. Habet itaque aer in brutorum corpora omni ex parte ſibi mancipata (perinde atque in proprios equos auriga) imperiũ, vires & dominium: pro quorum præſagitione (βραχυλόγως præſertim) philoſophatum abundè erit. In quo ſi quiſpiam nondum ſibi factum eſſe ſatis exiſtimabit, ad Aphrodiſeum candidè relegabo: apud quẽ multa in rerum natura eſſe leget, quorũ viam & cognitionẽ hactenus ſapientibus abſcondere voluit dominus: quam vbi viſum erit, ſuis patefacere gratis (vt omnia) dignabitur.

Aer corpora & cum his animos quomodo immutet.

Corpus vniuerſum perſpirabile ex Hipp. & Gal.

Alexand. Aphrodiſ. initio probl.

Reliquum

Reliquum eſt, vt ad rerum cæli, & naturæ candidatos, quibus potiſſimùm hanc opellam nauauimus, noſtra ſe conferat παρέκβασις. Itaque ne illotis (quod aiunt) pedibus, im mediam aphoriſmorum noſtrorum familiam irrumpatis φιλόμαθοι φυσιόφιλοι, hîc paucis amicè vobiſcum agam. In primis non ſolùm vos ipſos diligentes præſtabitis circa aphoriſticas ſignorum obſeruationes: ſed etiam circa partium anni (in quocunque terræ tractu) naturalem conſtitutionem. Vnde noſſe pretium operæ vobis eſt, quòd Ver ſecundũ naturam ſe habẽs, quanquam calidũ & humidũ, ſeu (vt vult Galenus) temperatum exiſtimatur: nihilominus in ſeptemtrionali hoc cælo noſtro, per initia humiditate quàm caliditate (ob præcurrẽtis hyemis viciniam) ſcatere magis deprehẽdetis: in fine, quia æſtati proximius eſt, calidũ ſupra quàm humidũ: in medio, quòd inter vtrũq; ex æquo volet, æqualiter temperatũ: tametſi id Galenus in noſtro climate & vicinis ægrè agnoſcit. Itidem de AEſtate exiſtimabitis: quæ initio ob Veris contactum calidior (modò ſui iuris fuerit) quàm ſiccior ſæpenumero experitur. In fine, quòd Autumno propinquet, cõtrà: in medio, æqualitatẽ ſeruat. Sic Autumnus propter æſtatis affinitatem, initio ſiccus magis, quàm frigidus: in fine, ob proximum hyemis cõtubernium, cõtrario modo habere: in medio verò quòd

*4. anni partium naturalis conſtitutio.*

*Gal. aph. & de temper.*

rò quòd ab hac & illa æquali paſſu diſtet, ſuarum virium prærogatiua vti plerunque ſolet. Hyemem addetis, quæ ob præcedentis Autũni comitatum, initians frigida magis quàm humida nobis eſt: ſub finem, ob aſſidentis Veris confinia aliter habet: circa medium frigida ex æquo, & humida. Quod hîc perpetuum eſſe ſi minùs explorabitis, ad ea quæ in Aſtrophania noſtra de ſtellarum exortu & occaſu trademus, placidè confugietis. Ergo ſigna quæ ad humidas aeris conſtitutiones pertinent, Vere & Hyeme de proprijs locis adnotata certiùs expectabitis, quàm excurrente anni quadrante alio, niſi quid præter ſolitam tempeſtatem occurrerit. Idque iuxta adſcriptos vnicuique parti gradus. Sic Autumno ſurgente, & procedente Vere, tonitrua, ventos, grandinem, & ſimilia (præſertim ſi ſecundum naturam ſe habent) ſignis apparentibus excipietis, & ita deinceps. Obſeruabitis præterea regionis in qua verſabimini, & τῶν φαινομένων periculum facietis, ſitum, naturam, & ad cælum habitudines. Vnde loca natura mollia, cuiuſmodi ſunt lacuſtria, & aquoſa, pluuijs obnoxia magis eſſe quàm ſicca & aſpera, ſæpenumero deprehendetis. Montuoſa, & ædita, ſuſcipiendis nimibus, tonitruis & fulminibus propenſiora, quàm cum planis humilia: demum quæ Auſtris ſubijciuntur (maximè

*Aſtrophania tibi pro pediẽ prodibit.*

*Regiõis ſitus natura & ad cælum habitudo obſeruanda.*

apud

*apud nos) vaporoſa & humida magis, quàm quæ Aquilonē, vel ſociorū ventorum alium quempiam agnoſcūt. Ex quibus colligetis gelu, pluuias, ventos, aut alterius cōmotionis aereæ ſpeciē, de proprijs ſignis tanquam de fonte hauſtam, etiam in eadem parte anni, & regione quæ vno horizonte claudetur, incertam (ſi locum ſpectabitis) prædictionem & fidem nonnihil ſuſpectam identidem præ ſe ferre: quòd hic calor ob ſitum loci, vel obiectos montes, pro varia flatuum natura, facilè nubes diſſoluat, vel aliò abire cogat: alibi contrà. Quod vobis prodigioſum videri nequaquam debet: nam quemadmodum omnis non fert omnia tellus, ita omne vbique non dat mortalibus omnia cælum. Hic ſegetes (inquit poeta) illic veniunt fœliciùs vuæ: Arborei fœtus alibi. Sanè, vt corporum (etiam in eadem terra, domo, vel familia) magnitudines, figuræ, partium numerus, & temperaturæ, ſatis per omnia non ſibi reſpondent, ſed habent alia familiare quidpiam, & diuerſum ab alijs: ſic terræ tractus (etiam in eodem hemiſphærio) inter ſe non omnino conſentiunt. Vnde quibuſdam ventos quoſdam familiares eſſe, alijs pluuias, nonnullis tonitrua, niues, grandines, terræ motus, & (vt paucis dicam) ſuas cuique regioni peculiares, vel ad minimam mutationem, ineſſe commotiones, poſthac indicabitis: quas in hac aeromantiæ*

*Vnde commotionū aeris certitudo incerta.*

Vergil. in Georg.

*Suæ ſunt cuiq; loco, vt corpori peculiares dotes.*

tiæ parte, niſi tam falli quàm fallere mauultis, ne latum (quod aiunt) vnguem prætermittetis. Iam quod ad ambitum locorum, in quæ indicia aeris vniuerſali ſignificatione diffundentur, attinet: hæc in præſentiarum accipietis. Ad liberi horizontis, aut (ſi vultis) hemiſphærij finem, quia oculorum acies verè pertingere non poteſt, quiſque proſpectum circunferendo, cæli quod ſupra terram eminet quantum reſpicere poteſt, id horizontis terminum (Latinis finitorem dictum) ſibi facit: quem trecẽtorum & ſexaginta ſtadiorũ, vel (ſi placet) duarũ & viginti leucarum Gallicarũ cum vnius ſemiſſe, longitudinẽ intra ſe cõtinere, fidẽ faciunt optices periti. Nam centũ & octoginta ſtadia, quæ leucas noſtrates vndecim cũ vnius quadrante ſtatuunt, in plano, & recto (altum excipio in quo ſtellas videmus) non excedit acies etiam perſpicaciter intuentis. Hic oculatum illũ Argonautam Lynceum excludo, qui naues ex Carthaginenſi portu ſoluẽtes, de Lilybæo Siciliæ promõtorio & vidiſſe, & numeraſſe fabulatur. Ad hunc itaq; ſpatij terminum ocularis radius vbi venit, acceſſu deficiens in rotunditatẽ recurrendo curuatur: atq; ita fit, vt hic numerus (centũ inquam ſtadiorum, ſupra octoginta) ex vtraq; ſpectantis parte antica & poſtica geminatus, trecentorum & ſexaginta ſtadiorũ ſpatium, quod intra horizontẽ diametraliter (vt ſic dicam)

De horizõte & eius quantitate, notatu digniſſima.

Vide Varronẽ quãq̃ Solinus Lynceum Strabonem vocat.

dicam) continetur, relinquat. Porrò, quia circunferẽtiæ circuli quantitas diametro ter repetita, & ſeptima parte ſuperaddita elicitur: vniuerſus horizontis ambitus mille & centum ſtadiorũ ſupra vnũ & triginta plùs minùs eſſe cẽſebitur: hoc eſt leucarũ ſeptuaginta (triente minus, vel circiter) adiecta vna. Hic non ſum neſcius, Proclum & alios pleroſq; à Macrobio diſſentire, qui horizontis diametrum (niſi corruptus eſt locus) binis ſtadiorum millibus, hoc eſt leucis centum & viginti quinq;, conſtare volunt. Cuius peripheria eſſet trecentorum ferè ſtadiorum, ſupra ſena millia: aut (ſi libet) trecentarum & nonaginta quatuor leucarum, cum tertia parte vnius ferè. Quod ſi eſt, longè latéque à Macrobij ſententia recedent Proclus, & alij. Sed eam controuerſiam excitare fortaſſe potuit ſtadiorum menſura apud multos diuerſa, quod ipſi videbitis. Ergo non exiſtimabitis cum phyſiologus de pluuia, ſerenitate, ventis, tempeſtate, tonitru, & ſimilibus per ſigna ſententiam dicet, in immenſum ire. Nihil enim ad eum qui apud Montemlucium Borboniorum natale ſolum mihi dulciſſimum, de pluuia indicat, num apud Campanos Galliæ, aut Hiſpanos pluat necne. Erit itaque de conſtitutione aeris iudicium ad eum duntaxat horizontem (qua dictum eſt formula) referendum, in quo ſigna circa

*Quãtus horizõtis ambitus & area.*

*Vide Macrobium in Somnium Scip. & Proclum in Sphæra.*

*Quomodo aptãda cõmotionũ aeris iudicia.*

Solem

Hæc videat verũ aeris ſtudioſus.

Solem & Lunam, vel alias ſtellas, nubes item, montes, terram, aquam, & reliqua, vobis apparebunt: vel ab ipſis animantium corporibus, motu, geſtu, voce, aut alio quouis modo prodibunt. Quandoquidem à vaporibus, exhalationibúſve inter oculum veſtrum & cælum, per inane deerrantibus, ſenſibiléſque brutorum partes (dum adhuc in via ſunt) titillantibus fieri vt ſuperiùs didiciſtis, ita fuſiùs poſtea audietis. Qui oculus, quia in ſui horizontis centro vbique ſtat, de emergentibus duntaxat in eo ſignis, non neglecta (vt diximus) locorum, & partis anni natura, certò indicare poteſt. Sed ita, vt indicij trutinam ad eam partem ſemper inflectat, quæ prærogatiuarum pondus ad ſe pertrahet. Vt ſi æſtate pluuiarum ſigna vobis proponi videbitis, quia bona ex parte calida eſſe ſolet æſtas, & ſicca, proindéque nihil aut minimum cum pluuioſa aura commune habens, remiſſiorem humiditatem, vel pro ea nubiloſum tantùm aerem, pronuntiabitis. Hyeme, & Vere, validiorẽ. De ſerenitate contrà, & ita deinceps. Sed attentione dignum eſt, quòd quæ à nubibus, & ſpectris alijs in aere ſuſpenſis, eruentur præſagia, in libero horizonte & vndique peruio (vt tota cæli facies, cum ventorum tractu commodè pateat) exerceri debent. In quam rem ſanequam opportuna erunt rura, quæ (vt ſcripſit Plinius) verè intelligenti-

Oculus vbique in centro ſui horizontis.

Plin. in procemio. lib. 19.

ſigentibus, deprehendendo cælo non minus conferunt, quàm ſyderalis ſcientia agro fœliciter excolendo. Nec circa ventos vobis dormitandum erit: nam illos collectas in veſtro horizonte nubeculas aerem conturbantes, nunc diſſipare, nunc aliò diſtrahere, & adnotata ſigna eludere, plerunque obſeruabitis. Quod nos in pluuia, grandine, & tonitru locum habere ſæpenumero animaduertimus. Vnde commotionum aeris prognoſtica vtique certa non eſſe, nec ſtata effecta ſemper ſuſtinere, experiundo diſcetis. Quanquam alicubi eſſe conſtat. Quod viderit vulgus, qui mutationum auræ prædictiones eadem die, imò verò hora & momento, quibus in cæleſti ephemeride aut alibi exprimuntur, in propria vrbe, villa, agro, & (ſi dijs placet) etiam tecto, & foculo, non ſine prædicentium conuitio, ridiculè expectare ſolet. O quantum eſt in rebus inane! Eſt profectò res aeria (vt verè dicam) laboris, difficultatiſq; pleniſſima. Sed de his per occaſionem alio in loco. Ad vos itaque redeo, φίλτατοι φυσιόφιλοι, quos ad prognoſticorũ fidem maiorem, ſedulus (præter iam dicta) moneo, vt ſigna à conſtitutione contraria etiam accuratè peruestigetis. Itaque vigente tempeſtate, aut pluuia, ſerenitatis ſigna exigetis: per ſerenitatem, contrà: ita de reliquis. Nemo enim cerebri vſqueadeo euerſi mihi eſſe exiſtimatur, qui ſerenita-

*Ventorum obſeruatio in iudicijs aeris nõ negligenda.*

*Contra vulgi & plebeiorũ erroneam opinionem.*

*Signa à præſenti aeris conſtitutione obſeruanda.*

ſerenitatẽ intuendo, aut pluuiam, de illis ſeriò nõ iudicet. Optimũ erit inſuper, ſignũ ſigno coniũgere: & tribus, ſex, decẽ, vel pluribus in vnũ conſpirantibus hærere. Adhæc præteriti anni, menſis, vel hebdomadis obſeruata ſigna diligẽter adnotare: atq; his præſentia, & præſẽtibus futura cõponere. nam hic (vt in rhetoricis argumentis) etiam turba valet: & quæ nõ proſunt ſingula, multa iuuant. Quod ſemel dictum, pro veſtra prudẽtia ad omnes aphoriſmorũ noſtrorũ claſſes tanquam theorema vniuerſale poſthac adaptare ſtudebitis: interim nõ ignari, quamplurima ex parte cæli (cui corruptibiles iſtæ mundi inferioris cauſæ, velut primarijs & agentibus, vltro obtemperant) hic ſupereſſe: in quo ſi paruam fidem mihi habebitis, Ptolemæum proferam: αἱ καθόλου (inquit) τοῦ ἀέρος ἐπιγινόμεναι ἰδιόχροοι φαντασίαι, τά τε ὅμοια δηλοῦσι τοῖς ὑπὸ τῶν οἰκείων συμπτωμάτων κατὰ τὰ προδεδηλωμένα διὰ τῶν ἔμπροσθεν ἀποτελουμένοις. quod eſt: Generalia viſa aeris, certis temporibus ea portendunt, quæ ſunt in ſuperioribus, de ſuis quæque accidentibus explicata. Quanquam ad Cometas, & vniuerſales alias aeris impreſſiones detorqueri poſſe, nõ ſum neſcius: quas & vos noſſe, & cum his miſcere maximopere cuperem, atque adeò per veſtrum candorem impetrare vtcunque contenderem, niſi negotium ob difficultatem

*Fidiſſima eſt ſignorũ collatio in aeromantia.*

*Iudicia aeris, cæli & partium eius cognitionem exigunt.*

ficultatem non mediocre vobis faceſſerent. Dabitur (mihi credite) in veſtram gratiam illis ſuus aliquando locus. Cæterùm, quòd ad aphoriſmorũ cauſas demõſtrationéſq; attinet, in cẽtũ & quinquaginta ſeptẽ ſectionis primæ leuiter ludere efflagitantibus amicis viſum fuit: quàm eruditè, cẽſebunt docti, quibus catulos meos deformes, pro pulchris oſtẽtare non laboro. Reliquorũ αἰτιολογίας ex induſtria omittere cõſiliũ fuit.

*Cur in alijs quemadmodum in prima aphoriſmorum ſectione non luſerit author.*

Nam præterquam quòd res ea faſtidientibus ſtomachis (qui plurimi ſunt) nauſeam ex repetitione præſentẽ mouiſſet, etiam pretiũ operæ (niſi ſuperuacaneum) nullũ attuliſſet. Taceo quòd ex contrariorũ collatione, quorũ eadẽ eſt diſciplina, erui tam facilè poſſunt, vt nihil facilius. Signa pluuiæ cõtraria vt ſerenitatẽ cõſtituunt, ita cauſæ cõtrariæ cõtrarias ponunt. Rurſum, pluuiarũ prognoſtica quædam, quẽadmodũ opportunis tẽporibꝰ niues, grandinẽ, pruinam, rorẽ, & ſimilia parturiunt: ſic cauſæ vnius (ſi probè miſceantur) cauſis alterius ſubſcribũt. Vẽti ſoli, vel cõmotionibus alijs remixti, tẽpeſtates, & quandoq; mera tonitrua percrepant: ita cauſæ circũſpectè detortæ, cauſas (accerſita negatione) oppoſitũ ſtatuẽtes agnoſcũt & comites habẽt.

*Authoris candor.*

Quæ pro veſtrorũ ingeniorum perſpicacitate ſi (vt par eſt) attemperabitis: cauſas alias ex alijs expiſcantes, vel (quod certè probarim) meliores veſtro marte cõminiſcẽtes,

gratiam

*gratiam apud me maximam, & laudem apud omnes ſine inuidia parem inuenietis: méque in poſterum vobis perpetuò amicum parabitis. Abundè profectò ſatis eſſe duxi, viam ex philoſophis, medicis, & mathematicis qualemcũq; vobis aperuiſſe: in quo ſi quæ volui non ſum aſſecutus, ſaltem quod potui, ſum aggreſſus. Fœtura ſemeſtris vixdum fuit. vnde abortio veriùs, quàm partus dici merebitur: de qua (vt eſt apud Platonem) meliùs indicabũt obſtetrices, quàm parẽs. Sed ex vobis fortaſſe ſic inſurgat quiſpiam: Quorſum Ephemerides iſtæ, aut quẽ vſum præſtant, quibúſve proſunt? dicam. In primis rerũ agri ſtudioſis, & ſulcantibus æquora nautis, plurimùm commodare intelligetis: quod ex illorũ vſu omniũ maximè ſit, futuras tempeſtates, bonas atq; malas, tẽpeſtiuè prænoſcere: & ex his quod bonũ eſt arripere, quod verò malum effugere. Cuius rei poſt Varronem, Columellam, Plinium, Vergilium, Heſiodum, & alios quamplurimos, teſtem citabimus Marcum Catonẽ villicum ſuum hunc in modum admonentẽ. Opera omnia (inquit) maturè cõficias face. Nam res ruſtica ſic eſt, ſi rem vnam ſerò feceris, ac occaſionem cæli & aeris (quod ad agriculturam attinet) filiam excluſeris, omnia ſerò & fruſtra facies. Nec temere. Nam καιρὸς (vt habet Hippocrates) ὀξύς: & cælum (vt adnotat Theophraſtus) producit*

*Quantum conferant, & quibus Ephemerides aeriæ.*

*Cap. 5.*

*Hippocrates Aphoriſ. primo ſect. primæ & Theophraſtus in hiſto. plant.*

*non*

non ager. In nauigando, cauendum à ventis, & tempeſtatibus, pluuiis item & procellis: quæ omnia qui non præuiderit, incautus opprimetur. ſed omnium primū à mortis periculo, ſi fieri poteſt, cauendū: quod certè tantum abeſt, vt dicebat ille, quantum tenuis ligni craſſitudo patet. Commodabit inſuper militari ordini. ſiquidē ducis copiarū ad bellum exituri, maximopere intereſt, viæ, & pabulationis, necnon commeatus cauſa, tempeſtates ad vnguem pernoſſe: ne cum equitatu peditū acies, morbo & fame, omni ferro ſæuiore, langueſcat: ac viribus imbecillis, fractiſque labefactata, tandem concidat. Poſtremò, etiam medicis adprime proderit: quorum maximè refert, vt paſſim cum Hippocrate inculcat Galenus, temporum mutationes, quæ morbos potiſſimum pariunt, præuidere: & aerem cū præſentē, tum præteritum, & futurū diligenter exploratum habere: cui medicorum filii omnes Græci, Latini, & Arabes, inter cauſas tam ſalubres, quàm inſalubres, principatum iure dediſſe mihi ſemper ſunt viſi. Paucis, omni omnium hominū ſtatui προγνωσιν hanc, admodum profuturam ſpero: ne in diem beluarū more, vitæ huius lubrica fragilitas tranſigatur: ſed ſit valetudinis ſuæ (cuius partem bonam ſibi vendicat aer) cuſtos diligentiſſimus homo, ſanctum verè animal, mentiſque capacius altæ: atque dum foras, ad merces, vel

Aeromantia copiarū præfectis pernecesſaria.

Rerū aeris cognitio medicis neceſſaria.

Ad omnes opuſculum hoc ex æquo pertinere.

debitas operas, aut aliò peropportunè prodeundũ erit ſeriò intelligat, & maturè expediat. Hæc verboſius fortaſſe quàm par eſt, vobiſcũ præfatus, candidi rerũ naturæ candidati, Vale dicere ſtatueram, niſi aliud in mentẽ percommodè veniſſet. Hem quid illud eſt, inquietis? Styli ieiuna tenuitas, & rerũ verborũque ſumma inopia. In qua ſi infœlicitatẽ noſtram prodidimus, imò verò quia inſigniter prodidimus, veſtrum candorẽ vel eo plauſibiliorẽ expectabimus, quòd rem eius naturæ eſſe intelligatis, vt doceri quàm ornari malit. Addam quòd multa etiam continet, quæ neſcio an eloquentiæ πρωτόθεος ille Cicero, ſi reuiuiſceret, ſatis Ciceronianè eloqui poſſit. Certè verborum puritatẽ, non neglecta (quoad eius fieri potuit) rerũ proprietate, vbique ſeruare ſumus adnixi. Atque vtinam, quod mille in locis inclamat Galenus, res ipſæ ſine verbis, aut ſaltẽ nudis & ſimplicibus tradi poſſent. Sperarẽ, ita me Deus amet, diſciplinarum ſtudiorúmque, & artium omnium compendium, cum emolumento vel maximum hinc acceſſurum. Hæc ſunt quæ vos vtcunque præmonere viſum fuit. Quæ ſi eo animo, quo à me ſcripta ſunt excipietis, Aphoriſticos περὶ μετεωρολογίας commentarios eadem methodo in veſtram gratiam concinnatos, ex tenui inopiæ noſtræ cornu, breui depromemus.

Authoris modeſta excuſatio.

# AERIAE EPHEMERIdes, hæc habent.

## Sectio prima.

*Pluuiæ ſigna, ab his quæ in cælo, aere, aqua, & terra palàm omnibus apparent: ſcholijs appoſitiſſimis illuſtrata.*
*Aphoriſmi.* 157

## Sectio ſecunda.

*Niuis, roris, grandinis, pruinæ, caliginis, nebularum, & obſcuri aeris ſigna.*
*Aphoriſmi.* 12
*Ventorum ſigna.*
*Aphoriſmi.* 64
*Tonitruorum, fulgurum, & fulminũ ſigna.*
*Aphoriſmi.* 6

## Sectio tertia.

*Tempeſtatis ſigna.*
*Aphoriſmi.* 33
*Serenitatis ſigna.*

*Aphoriſmi* 53

## Sectio quarta.

*Frigoris, & gelu, ſigna.*
*Aphoriſmi* 16
*Cometarum, traiectionum, & ignitarum aeris impreſſionum, ſigna.*
*Aphoriſmi* 6
*Motus terræ ſigna.*
*Aphoriſmi* 12
*Fertilitatis, & inopiæ ſigna.*
*Aphoriſmi* 16
*Nubium colores, ſignificatores, natura, & præſagia.*
*Aphoriſmi* 3

*Aphoriſmi, in ſumma* 376.

# EPHEMERIDVM AERIArum Antonij Mizaldi Monſluciani, Sectio prima.

*Pluuiæ ſigna ab his quæ in cælo, aere, aqua, & terra, palam omnibus apparent.*

## CAELVM.

1 SOLEM (vt ex Arato traſtulit Vergilius) certiſſima ſigna ſequuntur, Et quæ manè refert, & quæ ſurgentibus aſtris. Solem igitur emergentem, ad diurnas aeris cõſtitutiones, quotidie obſeruabimus: labentẽ verò, ad nocturnas. Quod Claudiũ Ptolemæũ virum (vt Gręcè dicam) φιλοσοφώτατον, καὶ ἀστρολογώτατον, Maroni hũc in modũ ſubſcribentẽ planè innuiſſe audies: τὸν μὲν οὖν ἥλιον (inquit) παρατηρητέον πρὸς τὰς ἡμερησίους καταστάσεις ἀνατέλλοντα, πρὸς δὲ τὰς νυκτερινὰς δύνοντα, &c. *Vergil. lib. Geor. 1.* *Ptolem. lib. 2. Apoteleſ.*

2 Exorientis ergo Solis, vel cadentis, radios profundas nubes emulgere ſi videbis: aut ab æruginoſis nubibus, liuidíſve, rufas, vel obſcurè puniceas intercipientibus abſorberi: pluuiæ iam tum ſemina, pro ſoli, cæli, & partis anni natura, iacta eſſe exiſtimabis.

## SCHOLIVM.

Dimidium facti (ut eſt apud Horatium) qui cœpit habet. Itaq; ut ſequentibus Aphoriſmis, nedum huic, fundamenta ponam, præmonendus mihi eſt rerum aeris cãdidatus, cui hanc opellam in primis nauamus, quòd Solis, Lunæ, ac ſtellarũ radij per aerem diffuſi, nõ uno modo ſeſe habent, nec eoſdem colores nubibus ubique appingunt: cùm ob naturam corporis ex quo lumen exilit, tum etiam propter aerem in quem radij ipſi diffundũtur, hac, aut illa materia (pro diuerſo magnitudinis, figuræ, coloris, ſitus, cõnexionis, in ſumma qualitatis & quantitatis, uel utriuſque ſimul modulo uariantem. Quibus adijciemus radiorum rectitudinẽ, & obliquitatem: adhæc maiorem, aut minorem ſyderum à terris receſſum, uarietatis nonnihil in differentia adferentem. Verumenimuerò quia in aere colores ipſi, materiæ (de qua hîc agemus) & naturæ totius, indices ſunt certiſſimi, maximum pretium operæ facturum me puto, ſi picturatarum aliquot nubium rationem ad præſagiendas quocunq; die priuatas aeris cõmotiones nõ minus iucundã, quàm utilẽ ex Iouiani Pontani Meteorologicis in medium protulero,

*Radij cæleſtes nubium pictores.*

*Vnde nubium colores tam uarij.*

Alba (inquit) parum denſa eſt, raro'q; immiſta uapore:
Quam Sol irrumpit radijs, & ad intima tranat.
Nigra grauem traxit denſa caligine fumum,
Non illam ut penetrent Nemeæi lumina Phœbi.
Puniceam multus ſubijt calor. occupat humor
Cæruleam, grauidámq; imbri, longe'q; madentem.

*Nubium picturatarũ natura.*

In quo tamen colorũ gradus maximopere obſeruãdi erunt, quos cũ Theophraſto Galenus hunc in modum doctè perinde ac eleganter nobis expreſſit. Albus, Pallidus,

lidus, Flauus, Rufus, Ruber, Viridis, Liuidus, Niger. ſub quibus cõpoſitorũ rationẽ (ut poſtea dicemus) appoſitè habebis. Sed omniũ maximè tres poſtremos obſeruabis: quos nõ niſi per multas alterationũ uias fieri conſtat: adeò quòd nubes ipſæ quantò magis ad nigrũ accedent, tantò pluuijs profundendis propinquiores exiſtimabuntur. Ergo in uaporoſa materia, & pluuiatili, Solarẽ radium qui uiuifici caloris, & peroptatæ lucis eſt uehiculũ, multas colorũ differẽtias ſurſum modulari, & cum oculo (accedente etiã ſtellarum energeia) apparitiones in nubibus uarias effingere, certus eris.

Galenus lib. criſeon. 1.

Inſuper albedinẽ, & nigredinẽ, prima quaſi omniũ colorum elemẽta eſſe: quæ in cõmiſtione, tẽperatura, & uicinia, quẽadmodum inter ſe habebunt, ita quoq; colorẽ ex iniectu luminis uarium repræſentabunt. Sed hîc colorum ſpecies, & naturã paucis perſtringere, πάρερ-γον (quod Græci dicunt) fortaſſe nõ erit. Itaque extremi, & tanquã aliorum parẽtes ſunt, Nigrũ, & Albũ: hoc à luminis & caloris in rara materia multitudine, illud ab eiuſdẽ in denſa paucitate, ac frigidi copia. Medij & miſti, ſic ſe habent. Ruber, ex albi & nigri permiſtione: Flauus, ex largiore albo, & parciore rubro: Croceus, ex copioſo rubro, & mediocri albo: Viridis, ex multo nigro, & pauco rubro: Purpureus, ex multo rubro, & pauco nigro. Ad quas ſeptẽ tritas colorũ ſpecies, reliquas tanquã affines, à Gellio & alijs adnotatas, percõmodè pro tua prudẽtia referes.

Album & Nigrum, colorum elementa.

Colorũ ſpecies, & ratio.

In quibus tamen tantiſper dum meliora cogitabis, me utcunque ludere ſi permittis, admonebo, fuluum colorem ex flaui fuſciq; miſtura conſtare: Lutheum, in ouorum uitellis repræſentari: Rutilũ, Spadicẽ, & Phœniceum, in rubore

De varijs coloribus notatu digniſſima.

*bore ſplendorē deſignare: Rufum, non planè rutilum eſſe: Liuidum, ſimile quid percuſſæ carni & contuſæ præ ſe ferre: Fuſcum, ex albi nigrique temperatione produci: Pallidum, ex albi flauiq; miſtura. Quibus addunt, Cæruleum, Glaucū, Cæſium, Thalaſſicum, Ferrugineum, & Cyaneum: qui omnes ferè, cum obſcuro fulgore ſubnigricare, & uirori remiſtum alborem exhibere ſolent. Sunt qui à rebus deſumūtur, ut Roſeus, Flammeus, Igneus, Sanguineus, Cineritius, Æruginoſus, Croceus, Aureus, & ſimiles: quos cum ſuperioribus in nubium pictura ſubinde elucere, diligenti obſeruatione poſthac diſces. Cæterùm non deſunt qui Atrum à Nigro hîc differre contēdant: ut ille propriè ſit extincti carbonis, horrendus, triſtis, & uiſu parum iucūdus: hic uerò paulò uenuſtior. Sed rem eam Grammaticis diſcutiendam relinquamus. Album & Nigrū (quod ad nubem attinet) in uapore ſecūdum magis & minùs eſſe exiſtimabis: Rubrum ſæpenumero ab exhalatione. Alia tute facilè excogitabis. Radij (ut loquitur Aphoriſmus) profundas nubes, & uariè depictas, à quibus Phœbæa maieſtas abſorberi, obruíq; periclitatur, emulgentes, nec ad intima uſque traijcientes, uapore craſſiuſculo & conſiſtente aerem turgêre, affatímque madere, ac pluuias parturire ſignificant. Æruginoſæ nubes, & liuidæ, minimùm à cæruleis diſtant: quarū generationē, atq; naturā, præter iā dicta, ſequens Aphoriſmus etiā expediet. Rufæ, & obſcurè rubētes, radiorū ſolis, & ſtellarū in materia uaporoſa & humida uires duntaxat ſuperficiarias teſtātur.*

*Ratio Aphoriſ. & partium eius.*

Si Solis triſtis imago (quemadmodum per mortem Iulij Cæſaris) Lurida ſollicitis præbebit

*Vergil. lib. I. Georg.*

bebit lumina terris: Vel, Sol ipſe in emerſu, aut lapſu, ac ſi laboraret, tenebricoſus, ſubuiridis, vel cæruleus apparebit: adfuturos imbres nuntiabit.

*Solare corpus, ob interpoſitum pluuiatilem aerem, & nubem (ut diximus) uaporoſam, nobis qui infimã mundi plagam colimus, quale hîc depingitur, tale repræſentari ſolet. Tamẽ Iulianus Sol ſua portẽta aliũde habere potuit. Nubes fit uiridis, dũ rorans eſt, & ſtillare propinqua, recepto lumine, quod uapori iniectũ, uiridem colorem exhibet. Cæruleus color, qui & Glaucus, de quo hîc & in ſequentibus paſſim, incurrit in oculum, non quidem ut cæleſti corpori inhærens, ſed quia luminoſum cernitur per mediũ tenebricoſum, nimirum per denſiuſculum aerem, & uaporoſum: unde color miſtus ex lucido uidelicet & tenebricoſo, uel lutheo & uiridi, cæruleus (in hac præſente nubiũ hiſtoria) cõſpicitur. De reliquis coloribus, ſimili modo iudicare deinceps poteris.* *Vnde nubes viridis, & Cærulea.*

4 Solem cauum & veluti in nube carinatum exoriri ſi videbis: adhoc, ex radijs nonnullos Auſtrum, alios verò Boream affectare: pluuię, aut ventorum præludia eſſe exiſtimabis.

*Quia aureus (ut loquũtur poetæ) Sol per medium caliginoſum ſpectatur, ideo cauitatẽ præ ſe fert. Ad quæ accedit, quòd in craſſiuſculam nubẽ è regione Solis poſitam, iaculati radij, renitente pertinaciter obiecto, facillimè reſultant, & ad latera hinc inde diſſiliunt.* *Lucidum in nigro cauũ apparet.*

5 Immerſi atra nube matutini Solis radij, nulláq; ex parte illuſtres, ſuſpectam eo die pluuiam

uiam non ſecus reddunt, quàm ſi prægnantes ante Solis exortum longè, latéq; per horizõtem pallidulæ glomerarentur nubes.

*Hæc fœcundam pluuioſæ materiæ ſobolem in aere reſidere commonſtrant: à qua incõprehenſibilis lux illa mũdi (ad cuius proſpectum toties Socratẽ diriguiſſe ferunt) uiſibus humanis intercluditur: & dato obice, uiribus utcunque obtuſis, in præſens latitat. Pallidæ nubes naſcentem Solem glomeratim à uaria horizontis parte excipientes, uapores ſurſum cogi, & aquis claſſicum canere teſtantur. Nigrum & denſum, ab obiecto lumine illuſtrari ægrè poteſt.*

*Nubes pallidæ. Nigrũ & denſum.*

Si Solem, dum emergit, labitúrve, corona liueſcente, caliginoſa, aut ſubrufa cingi animaduertes: aut ſolares nubes quas Græci παρήλια dixerunt, pallidis radijs eidem adeſſe: venturæ pluuiæ, aut tempeſtatis immemor non eris. 6

*Vapores ad aquæ generationem ſurſum concreſcere, & hinc nubes liueſcere, ob addenſatúmque humidum nigricare, iſta ſignificant. De Parahelijs, qui ab Halo & Iride, ſitu tantum differunt, (nam Halo ſub Sole, Iris ex oppoſito fit) audies poſtea. Quod ad coronã attinet, quæ Græcis ἅλως, Senecæ area dicitur, hæc à me ueluti per tranſennã in præſens accipies. Cũ nubes uniformis, & in omnibus partibus æqualem raritatẽ aut denſitatẽ habens, perpendiculariter, uel ex diametro ſub Sole, Luna, aut aſtro fuerit: incidens in eam luminoſus radius, nubis occurſu facilè refringitur, ac circulum magnum, uel coronam,*

*Quid corona ſiue area circa ſtellas.*

*nam, propter refractionem ſecundum æquales angulos luminis ad uiſum aggregati, leuiter architectatur. Reflectuntur radij ab omni corpore diaphano, & inſpiſſato: ſicut ſunt uapor, nubes, aqua, uitrum, cryſtallus, & ſimilia. Addam, quòd circulus (ut ſic dicam) Halonicus in extremis circumpoſito nigro albicans, tametſi proximè Solem, Lunam, aut aſtrum uideatur eſſe, tamen longo interſtitio ad mediam aeris regionẽ illis ſubijcitur: hallucinationis cauſam præbente uiſus imbecillitate. Cæterùm quid tempeſtatis nomine, tum priſci, tum recentiores philoſophi intelligant, ſectione tertia doceberis.* Radiorum reflexio.

7 Sol vbi naſcentem maculis variauerit ortũ, Vergil. Georg. 1.
Suſpectos imbres faciet.

*Quia color lumen eſt cum opaco permiſtum, ideo præſens Aphoriſmus innuit matutinam nubem, quæ Soli, & luci obijcitur, uaporoſam & multis aquæ guttulis inæqualiter interſparſam eſſe: quam radio quaſi penicillo ſecundum umbrarum uariam miſtionem (præſertim cum nubes ſuperior, per nubem ſubtilem inferiorem conſpicitur) uariè maculat, & depingit Phœbus: qui per tale medium tanquam per maculoſum ſpeculum uiſus, ſuam ſic eſſe faciem nobis mentitur.* Aphoriſmi ratio.

8 Si in ipſo horizontis contactu, vel haud ita procul, aſcendentem Solem pullatæ nubes circuncludent: quantò minus luminis relinquent, tantò turbidiorem tempeſtatem humidiorémq; præ ſe ferent.

Talia

*Vaporum addenſatio in aëre, ſolē terræ intercipit.*

*Talia magnam uaporum conſiſtentiam in aere ſupereſſe admonent: quibus rutilantes Solis radij mox cedunt, & (ſi nubis magna fuerit moles) uicti tandem ſuccumbunt.*

Per Solis exortum, & occaſum, radios quaſi 9
incraſſeſcere, & facto vtrinq; nubium liuentium aggere, in arctum cogi, premíq;, ſi videbis: pluuijs delabentibus peragendos dies aliquot exiſtimabis.

*Radij ſolares à denſiore medio incraſſeſcūt*

*Indicant hæc à uaporibus ſublatis, & iamiam in pluuioſam nubem ſeſe componētibus, Solem obſidione laborantem, breui (ni deditionem fecerit) captiuum agendum: cuius radij, ob nubis pertinaciam in ſemet reſilientes, facilè craſſeſcunt: ac per medium uaporoſum conſpecti, denſiores, maioréſq; euadunt.*

Quoties ante Solem perexigua, & veluti ſu 10
perficiaria oborietur nubes, & poſthâc radijs varius ſupra horizontem attolletur Phœbus: aut vt ſcripſit Maro,

*Geor. I.*

Ipſius in vultu varios errare colores
Sedulus aſpicies: meritò terrebere nimbis.

*Colores à radio varij*

*Solis radij (ut diximus) nubem inæqualiter humidā pulſantes, uarios colores, & picturatū multipliciter radium repræſentare ſolent. Oborta ante Solem nubecula, aliarum ueluti πρόδρομον agit. Addam quòd lumen, corporis penetrati uel à quo reflectitur, colorē ſecū plerunq; perfert: perinde atque in papyro, uel re alia uitro colorato oppoſita fieri uidemus.*

Si ſub auroram prętenſi, diffuſíque ſupra ho 11
rizontem, craſſiuſcula quàm conſueuerūt mole, So-

le, Solis radij apparebũt: pluuiæ, aut vẽti obliuiſcendum nó erit. Qui ſi magis magíſq; ſublato Sole deliteſcẽt, aquas certius teſtabũtur.

*Caliginoſum eſſe mediũ, ac roridas nubes inter oculum & solẽ ſubſterni, ſignũ eſt. Nã omnia in humido iacentia, uel circa illud poſita, porrectiora quàm ſint, maioráque, & craſſiora (ob fractum radium) apparere nemo eſt (niſi fortaſſe lippus) qui non uideat.* *Propoſitio ex perſpectiuæ placitis excepta.*

12 Occidentem Solem, itidem & orientem ſi obſcurabunt nubes profundæ, effundentúrq; circa ipſas hinc inde interuoluti radij: de pluuia, aut vento dubitandum nequaquam erit.

*Vapores in pluuioſam condenſationem tendere, hæc demõſtrant. Quibus addes, quòd prædenſum obiectũ radios facilè diffundit, ac diffuſos uariè perturbatéq; miſcet ac retundit.* *Denſum obiectum quid agat in radios.*

13 Sol per nebulam, vel caliginoſum aerem paruus & inſtar pilæ, aut globuli ignei viſus: cælum pluuias parturire innuit.

*Cauſam de ſe perſpicuus aphoriſmus nullã exigit: in quo ſiquis hæſitabit, ſuperiora conſulat.*

14 Nigræ circa Solem coronæ, vna, vel plures conſpectæ, horridam tempeſtatem, aut hyemalem aeris conſtitutionem, in via eſſe oſtendunt.

*Significant calidum ſpirituoſum uapores reſoluens, & conſumens, hîc nullũ, aut parcum eſſe. Adhæc frigidum, humidi quicquid ineſt, in pluuiam denſare. Sequens reliqua abſoluet. De corona, & area, dictũ prius.* *Calidũ vapores reſoluit.*

Cæru-

*Vergil. Georg. I.*

Cęruleus pluuiã Sol nuntiat:igneus Euros. 15
Sin maculæ incipiũt rutilo immiſcerier igni,
Omnia tunc pariter vento, nimbíſq; videbis
Feruere.

*Liuida, cærulea, ignea, & punicea in nube, vnde.*

*Liuida, ut cærulea, in craſſo humidóque uapore nubem pluuiam conſtituente, ab imbecillo ſolis radio fabricantur: ignea, & punicea, in nube æſtuante, & exhalationis potius, quàm uaporis diuite, locum habẽt: perinde atque in cute fieri ſolet, in qua color Galeno & medicorum filijs ſolet effloreſcere ſimilis humoribus ſubiectis. quanquam paulò aliter de nube.*

16 Si dũ peroritur Sol, craſſiuſcula nebula ſurſum aſcendet: pluuiam dabit. Si è mari, vento nulla ex parte cõtrario, emerget: vel circa montiũ ſummitates, pratáve, aut ſyluas, necnon lacus, fontes item & flumina, morã longam faciet: idem præſtabit.

*Nebula, & caligo.*

*Nebula, uel caligo (quæ uapidum ſunt excrementũ aquoſarum nubium) deſcendens, ſerenare: aſcendens uerò, quia in locum migrat ubi citò (ſi craſſiuſcula eſt) denſabitur, ſtillare plerũque conſueuit. Cui ſi uentus occurret, facilè ob infirmitatem deturbabitur, aut uaneſcet. Si moram in aere facit, conſiſtentiam ſic ſatis aquoſam præſefert. Mare, lacus, prata, & ſimilia, pigræ auræ & uaporoſæ plurimum expirare ſolent.*

17 Sole ſcandente, labentéve, nubes quas Grę ci (vt diximus) παρήλια nũcupant, ab Auſtro, vel Borea, aut vtrobiq; comite dẽſiuſcula rubedine & liuidula, dũ infici deprehẽdes: vẽto ſam pluuiam prænũtiare nihil hæſitabis.

Nubicogi,

*Nubicogi, & uaporoſi Auſtri, tẽperatura calidi, ſed uincente (ſaltem apud nos) humido, ſuam in miſtura prærogatiuã hîc oſtendunt: propterea rubedinem denſitas cum liuore in fermentatione obtundit. Nubes ab Arcto in meridiẽ pluuium, & contrà eunt, redeúntq; uiam. De parahelijs poſtea.* Quid apud nos Auſtri agere nati.

18 Sol in primo exortu per nubes prædenſas & alicubi feneſtratim diuulſas obſcurè radios iaculans: vel quaſi diuiſus apparens: pluuiam (perinde atque ex turbato occaſu tempeſtatem) ſignificare pronus eſt.

*Hæc craſſum & aquoſum uaporem iamiam in nubem concretum, ægrè à Sole euerberari (licet aggrediatur) inclamant. Nubes propter inæqualitatem, feneſtrari (ut ſic dicam) & interbiare poteſt. Nam qua parte eſt denſior, pertundentem, terebrantémque Solis radium, facilè reſpuit: qua rarior, uelit nolit, admittit, & uiam ui facere ſinit. Sed raritatem pluuioſa denſitas tandem abſorbet. Turbati Solis occaſus, à uaporis & exhalationis pugna prodeunt.* Nubiũ inæqualitas, Soli viam facit.

19 Sol minor quàm conſueuit emergens, vel dum occidit in nube diſparens, quo propius horizontis lineam ſic affectus pertinget, eo deſcenſuram aquam certius portendet.

*Apparitiones iſtæ, uapores non paucos ex quibus aqua tandem modulabitur, in uia eſſe oſtendunt. Sol exoriens, itidem & occidens, propter obliquos (& proinde imbecilles) miſſos deorſum radios aerem ſuarum uirium iure uti (quod ad ſe attinet) permittit. Reliqua de ſuperioribus patent.* Sol exoriẽs, & occidẽs obliquos proijcit radios.

Sol

Sol dum exurgit, nubes cumulatim præ ſe agens, vel radios diſcordes pallentéſve porrigens: Adhæc circulo nigro circumplexus vaneſcens: pluuiarũ augur, antiquis eſt habitus. 20

Pallor, & liuor vnde.

*Pallor ab imbecillo calore eſt, qui nihil aut minimùm reſoluit: liuor, à uapore concreto & extincto calore. Radiorum concordia diſcors, à pluuioſis nubibus exoritur: quæ hinc inde, à circunferentia horizontis, ad centrum actæ, ut tandem coeunt, ita aquas facilè exſtillant. Circulus niger pluuiatilem nubem è regione Solis implantatam arguit.*

Emergente Sole, aer tenebricoſus nubem quaſi circulo per horizontis labrum cõtinuã, & luridam ſi dederit: idem quod nunc nuper pollicebitur. Similiter, ſi dum ad occaſum tendit, grauida nubes, illum veluti abſorbens, præcurret. 21

Vnde aeris obſcuritas.

*Obſcuratur aer, & tenebreſcit à corpore umbroſo & opaco, Soli lucis authori (ut fit in eclipſi) occurrẽte: uel à præhumida nube, illum hinc inde ſuccingente, & magna uaporum ſtipante caterua, perbreuem de parta uictoria triumphum agente.*

Si ante Solis exortum & occubitũ, vel paulò pòſt, purpureæ, puniceæve nubes, vtcunq; preſſæ, & nigreſcentes, extemplò naſci, vaneſceréq; ſpectabuntur: leuiſſimarum pluuiarum ſigna dabunt: prædenſæ, cum quodam liuore, magnarum. Quanquam hoc apud nos (præſertim æſtate, in qua Solis radius potenter digerit) veritati vbique non ſubſcribere, 22

ſæpenu-

ſæpenumero ſum expertus.

*Colores iſti de ſuperficiaria percuſſione radiorũ Solis ad nubem uaporoſam & pluuiatilem, proficiſcũtur. Extinctarum nubium ſubita παλιγγενεσία, præhumidorum fumorũ ſupra Solis uires prouentũ in aere largiſſimum teſtatur. Superioribus conſonant reliqua.* *Vnde nubium ſubita regeneratio.*

23 Sol manè, facie inſolita emergens, aut luthea in nube vel ſubfuſca deliteſcens: auram pluuioſam portendere natus eſt.

*Cauſæ de antè dictis, ne eandem incudẽ toties pertundamus, ac patientes nugarum noſtrarum lectores crambe (ut eſt in prouerbio) repetita miſerè occidamus, ſparſim eruendæ erunt.* *Omnia non omni in loco dicenda.*

24 Si rutilum, & candentem Solis occubitum liuidæ nubes, & obſcuræ comitabuntur: pluuias aut perturbatum aerem promouebunt.

*Sol hiſce coloribus exornatus, caliditatis quæ multos uapores ſuſtulit, dominium teſtatur. Qui, quia radios à terra ſubducit, collectas huiuſcemodi nubes, pluuiam de colore & conſiſtentia parturientes, nocti (quæ tum humida cælo præcipitat) regendas, & in aquam cogendas, perbellè committit.* *Nubes ſolis comites, quid portẽdant.*

25 Sol in emerſu (vel haud ita procul) adhæc deſcenſu, inſignem calorẽ, præter diei & partis anni rationem ſecum aduehens, ſi nõ aderit ventus, Vere maximè & Autumno: pluuię, vel tonitru ſigna ob oculos actutũ ponet.

*Solet aerius calor inualeſcere, à Solis radio cum mora directo, & bis locũ eũdem pulſante, uel per dehiſcẽtis nu-* *Vnde calores inualeſcant, & quomodo.*

 tis nu-

*tis nubis latera, collectis uiribus, ſurſum & deorſum cum reflexione, quaſi intra clibanum, uel in hypo cauſtis occluſo. Queis accedit perſpiratus, ob uentorum abſentiam & præſentes uapores negatus.*

Rubedo cũ inſigni calore circa Solis emerſum ignaua, obſcuráq;, & liuore permiſto ſuffuſa exurgens, idem quod priùs intentat. 26

*Oſtendit materiam uaporoſam in pluuiatilem nubẽ concreſcere, & circa eam Solis radios minimum (renitente denſa humiditate) poſſe: id quod etiã liueſcens rubor facilè indicat. Addam quòd matutina rubedo à denſitate nubium ex aqueis uaporibus cõpoſitarum emergere plerunque ſolet. Nam Solis lumen ſubnigris nubibus & opacis iniectum, colorem rubrum, lutheúmue, aut roſeum efficit. Quod in craſſo fumo ex radiorum & luminis proiectione, nullo negotio experieris.*

Orientis Solis orbicularis facies ſplendidũ lumen & perfectum ſi non habebit: pluuiam, aut pro ea nubiloſum aerem exhibebit. Cuius centrum ſi abſq; vllo radio videbitur, ſimile quid adfuturum nuntiabit. 27

*Solis facies deterſa, vel maculoſa, quid in aere portendat.*

*Deterſa Solis facies, ſyncærum radium iaculans, nihil uaporoſum (ſaltem quod craſſum ſit) in aere ſupereſſe teſtatur. Maculoſa uerò, denſiuſculos uapores intercedere, quibus ſubſtratis fit ut radij facile retundantur, & relicto Phœbææ maieſtatis ſolito ſatellitio (ac ſi pedem retro tuliſſet) extemplo diſpareant.*

28 Sol cadens atratas nubes ſecum ſi pertrahet: vel manè antequam ſupra horizōtem caput efferat, radios nullos, aut ſaltem marceſcentes iaculabitur: pluuiam in procinctu eſſe admonebit.

*Denotat uaporum pluuioſorum tota (quod dicunt) plauſtra ui cæli ſurſum prouecta eſſe: qui tum maximè ſe produnt, cum abeſt diuellens diſſipánſque Solis radius, quem tabeſcētem & languidulum ideo excipit terra, quòd uaporoſum ſit medium. Vnde penetrationem abſq; luminis (cuius promptuarium eſt sol) iactura, tunc temporis facilè non admittit.* *Languidulus Solis radius vnde.*

29 Quoties Sol veluti nigreſcens excurrente craſſiuſcula nube occidet, radiíq; omnes de circulo obliquè detorquebuntur, hi in vnam partem, alij in aliam diſſilientes: pluuias hinc portendi certus eris.

*Hæc effumationem multam, craſſam & aquoſam, inter Solem aſpectúmq; noſtrum ſpargi innuunt: quæ radios ad latus uariè perreptare cōgit. Quod ſupereſt, præcedentiū adminiculo ſatis ſupérq; ſeſe manifeſtat.* *Craſſarum euaporationū vis in solem.*

30 Cæterùm, ne quid intactum omittamus, Parahelios (quos Soles alteros dixerunt) ſua etiam in pluuijs teſtimonia, libris & obſeruationibus fidem faciētibus, habere, neſcius nō eris. Quos Peripatetici fieri tradiderunt in nube humida, læui, nonnihil denſa, & vniformi, ſub Sole (vt Halo) vel ex oppoſito (vt Iris) minimè ſtante, ſed ad latus ęquabiliter in parte illuſtrata proiecta: ex quo fit vt radiorum *Paraheliorum generatio.*

 refractio-

*Quid à Sole differat Parahelius.*

refractione, perinde atq; in polito & bene terſo chalybe, Solem colore, magnitudine, & figura nobis facilè mentiatur: niſi quòd albicat magis parahelius quàm Sol, Auſtrum verſus vel Boream illi lateralis ſemper apparens. Vnde plures duobus viſi vix vnquam fuerũt Parahelij. Quæ phantaſia tres Soles, & totidẽ Lunas (nam ſub Parahelio, etiam Paraſelene, vt poſtea dicemus, locũ habet) aliquando cõparuiſſe, rerum naturæ imperitis leuiter ad modum imponere potuit. An verò ab alijs ſtellis idem fieri poſſit, ſuſpenſam ſentẽtiam tenere malo, quàm de dubijs & incertis temere quicquam pronuntiare.

*Tres Soles aliquando apparuiſſe, quomodo intelligẽdũ.*

Auſtrales itaque Parahelij, vt rem (quod dicunt) acu attingamus, magnarum pluuiarũ teſtes eſſe conſueuerunt: Boreales non item. 31

*Aereæ virgæ.*

Quod ad aereas virgas (Græci ῥάβδους nuncupant) nõ ineptè accõmodare etiam licebit. Quas Sole in exortu vel occaſu degente, ad alterutrum latus, Auſtrale inquã vel Boreale, inſtar lineæ de terebrata nube in terram perpendiculariter ſub vario colore (cuiuſmodi eſt Iris) deſcendere frequẽter obſeruauimus. Vnde Irinas virgas inſcribere viſum fuit. Ex quibus Auſtrales, vt in Parahelijs, potiùs q̃ Boreales, aquam, & aeris perturbationes portendere, non temere, mea ſententia, adnotarunt antiqui. Quanquam Ptolemæi interpretes, Parahelios & virgas nunquam apparuiſ-

*Quid in aere portendant virgæ.*

ſe tra-

ſe tradunt,niſi per ea tempora Halo, aut Iris etiam apparuerit: nam vtrobique vna omniũ ferè eſt cauſa , nimirum radiorum Solis , vel eius corporis,à nube pluuiatili,perinde atque à ſpeculo,facta refractio:niſi quòd perpendicularium linearum nubes inæqualis ( hoc eſt vna parte denſior,altera verò rarior) eſſe ſolet : in quam decidentes radij , partibus minùs addenſatis,ceu per foramina quædam,& circulos vitreos,nunc rectè,nunc obliquè deorſum feruntur: proindéque virgas ſub diuerſis coloribus in aere depingunt varias . Puniceas,ſi denſior erit nubes, ac nigricans. Virides,ſi rorans. Cæruleas,ſi ex lutheo viridis: & ita deinceps.Nam lucẽ res coloratas tranſeuntem,illarum coloribꝰ,vt docet Optographia,inſigniri,tam eſt certum, quàm Sole lucente diem eſſe. Hactenus de Sole. ſupereſt vt ad Lunam , & ſtellas, commodè progrediamur.

*Virgarum aerearum colores.*

32 LVnam ( inquit Ptolemæus ) obſeruabimus in itinere ſuo dierum trium ante interlunia,& totidem poſt,ipſáque plenilunia , ac medium tempus quo erga Solem ( vt ſic dicam ) quadratur. In cuius ſentẽtiam tametſi cum Theophraſto deſcendit Lucanus , Plinius nihilominus, & Vergilius cum Angloſaxone Beda , diem quartum hîc contemplabilem eſſe volunt. Aratus, & Theon Alexandrinus inter vtrun-

*Ptolemæus lib. 2. Apoteleſ. ſub finem.*

que volantes, modò hunc, modò illum.
Quam controuerſiam facilè (niſi valde hal-
lucinor) componet, qui in Mathematicis, at-
que adeò in orbium & motuum Lunæ theo-
ria, vel per tranſennã (quod dicũt) erit verſa-
tus. Nanque ab his perſpicuè docebitur, die
à congreſſu cum Sole nunc tertio, nunc quar-
to, citiùs quandoque, nonnunquam tardiùs,
Lunam nobis apparere. Si enim ipſa lumina-
rium ſynodus ſub ecliptica in decliui cæle-
ſtis ſpheræ ſitu à fine Sagittarij, ad poſtre-
mum Geminorum ſcrupulum continget: tunc
cũ Sol (vt ex Ptolemęo excepit Purbachius)
occidẽdo in horizonte fuerit, plures gradus
erunt in circulo reuolutionis Lunæ ab ipſa
ad horizontem, quàm de Zodiaco à Luna ad
Solem occumbentem. Vnde in climatibus ſe-
ptentrionalibus antè videri poterit, quàm ſi
fuiſſet in altera Zodiaci medietate. Præ-
terea ſi velox motu erit, citiùs apparebit
quàm ſi tarda. Et ſi inter Solis, & renaſcentis
Lunæ obitũ, duodecim AEquinoctialis tem-
pora, ſeu gradus (id eſt, horæ ſupra dodrantẽ
propemodum ſemuncia) intererunt: tunc
Cynthia ex Alphragani, & Albategni ſentẽ-
tia, noua conſpici poterit. Sed Lunæ latitudo
ab ecliptica cum his omniũ maximè obſeruã-
da venit. Nam ſi à coniunctione, in latitudi-
nem ſeptentrionalem mouebitur, celerius ob
oculos verſabitur, quàm ſi in meridianam.
Fit igitur quandoque, vt cauſæ iſtæ omnes
concur-

*Vnde controuerſia de die Lunari in aeromantia.*

*Ptolemæus in Almageſto: & Purbachius in planetarũ theorijs.*

*Cauſæ cur die à coniũctione nunc primo, nũc ſecundo, tertio, quartóue Luna appareat.*

concurrant: & tunc eodem die Luna vetus & noua comparere poteſt. Quandoque duæ tantùm: & tunc die à fraterno coitu altero ſpectatur. Aliquando vna duntaxat: fitque vt tertio die tũ maximè ſe prodat. Nonnunquã omniũ oppoſitum accidit: & tunc quarto die conſpicabilem ſe prębet. Quæ res, mea ſentẽtia, de decretorio commotionum aeris Lunari die antiquis eam controuerſiam peperiſſe potuit. Sed omiſſa Lunaris luminis apparitione (neque enim, vt aſtra reliqua, ſolo lumine agit Luna, ſed etiam motu) tantorum virorũ litem eam via alia componere aggrediamur. Qui in quartum à ſynodo diem, ſuas obſeruationes coniecerunt, hi ad congreſſus, vel interlunij cardinem, ſemiquadrangulum primum, reſpexiſſe mihi videntur. Nam eo die τοῦ ἑξκαιδεκαέδρου, hoc eſt ſexdecangulæ priſcorum figuræ latus ſecundum, quod graduum eſt quadragintaquinq; à primo, & tetragoni ſeu quadrati dimidium, Luna exactè poſſidere inuenitur: qui dies quemadmodum in critica morborũ perſcrutatione ſeptimi ex Hippocrate eſt index, ita primæ Lunaris ſeptimanæ, quod ad auræ cõmotiones attinet, ſignificator & teſtis. Qui verò diem poſt conuentum tertium reſpexerunt, contemplabilémq; admiſerunt, perfectum quidem illum, & præterea initiatum quartum, ac iam tum fluentem (perinde atque apud Medicos in critico die vigeſimo ſequẽtem, nimirum primum ſu-

*De die tertio, & quarto Lunari.*

*Hippo. lib. 2. Aphq.*

mum ſupra vigeſimum, & in fine tertij gradus, pro plantarum temperamento, quarti initium) intelligere, niſi validè fallor, voluerunt: quo die Luna κωνοειδὴς & κερατὴς, hoc eſt corniculata, angulum ad Illunij (vt cum multis dicam) vel coniunctionis momentum, ſemiquadratum etiam tenere plurimùm ſolet: dextrum, tribus ante coitum completis diebus, & quarto labẽte: ſiniſtrum, totidem poſt. Quod ad reliquos angulos minaces, & auræ mutationum iudices certiſſimos, eodem præcurrente ac ſequente dierum numero, aptandum poſtea præcepit Ptolemæus rerum cæli interpres & perueſtigator diligentiſſimus. Ad quartum, vbi Luna à primo fraterni congreſſus loco (vt loquuntur) quadratur: octauum, quando eidem tota diametro oppoſita eſſe ſpectatur. Poſtremò ad duodecimum, dum tetragonum vltimum rurſum adimplet. Quæ omnia in figura ſexdecim angulorum debitè, vt ars exigit, extructa, eadem ferè methodo qua in morborum decretis, intueri perfacilè erit. Ergo ad motum quicquid id eſt, ſi videbitur, detorquebis. Nec omittes Lunaris corporis in proprio epicyclo cũ velocitate tarditatẽ: quę plerũq; facit vt motus ipſe nõ ſatis vbiq; ſibi conſtet, hoc eſt in tẽporibus æqualibus ęquales tã Zodiaci, q̃ AEquatoris arcus nõ ſemper deſcribat, nec conſequẽtibus diebus ſibi (numero ſaltẽ) reſpondentes gradus ęqualiter percurrat. Quæ res planè efficit, vt di-

*Hîc diligenter aduertat lector.*

*Obſeruatio non negligenda.*

*Velocitas motus Lunæ, & tarditas diligẽter obſeruanda.*

vt dictos ἐξηκαιδεκαέδρου angulos nũc citius nunc ſerius Luna ingredi, proindéque videri cogatur. Pythagoricos numeros in hac cõtrouerſia de ternario & quaternario, cum Peripateticis lõgum valere iubebimus, vt qui energeiæ parum, aut nihil hîc ſuſtineant. Vtut ſe res habebit, contemplabimur primùm ſurgentẽ à cornibus vtrinq; Lunam: aliàs enim eam alio depingit Heſperus colore, aliàs aliæ facies miſcent, quibus de menſe inſtãte perquirere poteris. Signa tamẽ omnia, inquit Aratus, non omnibus diebus eueniũt, ſed quę tertio (vt diximus) quartóque fuerint, vſque ad dimidiatam, & à dimidiata ad ipſam vſque ſemimenſtruam, atque rurſum à ſemimẽſtrua ad dimidiatam decreſcentem. Alij diligenter Lunæ articulos octo, quoties ſcilicet in aſpectus Solis ſuo menſe incidit, hîc (perinde atque in morbis) obſeruandos volũt. de quibus & ἐξηκαιδεκαέδρῳ Ptolemæi critico fuſiſſimè aliquando leges in noſtro Seleniatrico.

*Aratus in phænomenis circa finem.*

*Quorundã ſedula obſeruatio.*

33 Luna itaque tertia, quartáve (vtrũlibet acceperis, vnguem non vorterim) ante interlunium, & poſt, adhæc tetragonum vtrunque, & oppoſitionem, fuſca, pallida, cærulea, aut ſubuiridis conſpecta, pluuiarum tempeſtatúmq; præſaga habebitur.

*Signa pluuiæ à Luna, & quæ illam comitantur.*

*Hæc colorum phantaſia à uaporibus pluuioſis inter oculum noſtrum & Lunam per aerem ſtratis, ut de Sole antea dictum eſt, proficiſcitur.*

Si Lu-

Si Luna iiſdem diebus prętumidum, ſuprà quàm par ſit, obſcurúmq; ſchematiſmũ, vtroque corniculo veluti emarceſcente, præ ſe tulerit: futuram pluuiam indicabit. 34

*Nubiũ qualitas, vel quantitas, multa circa luminaria ementitur.*

*Talis diſpoſitio, nubiũ humidarũ & madentiũ effumationũ denſitatẽ, inter nos & Lunæ corpus procũbere oſtẽdit: ex quo fit, ut ementitũ hoc ſpectaculum perfacilè prodat. Reliqua de ſequenti petenda.*

Per idem tempus denſiora ſolitò, amplioráq;, & cũ ſeminauiculato corpore nõnihil obtuſa cornua ſi prętẽderit Luna: aquas ſpõdebit 35

*Hoc de perſpectiua ſũptum.*

*Omnia in uapore utcunq; addẽſato uel circa poſita, ob refractũ radium maiora craſſioráq; apparere ſolẽt. Quod ſemel, atq; iterũ repetitũ non diſplicebit. Dabiturq; uenia, ſi ἀνάκλασιν, cũ Ariſtotelis interpretibus nũc refractionẽ, nunc reflexionẽ tranſferimus. Quanquam ubicũque ſit refractio, ibi ob denſitatẽ reflexionem etiã fieri abſurdũ nequaquã eſt. Sed non contrà.*

In Lunæ triduano exortu ſi Notus ſpirabit, quarta die plus minus delabetur pluuia. 36

*Meridiani uenti aquas (præſertim apud nos) paulatim colligunt. Quod amplius requiras, hîc nihil eſt.*

Luna naſcens, cornu ſuperius obatrum ſi habebit: pluuias decreſcens dabit. Si inferius, ante plenilunium. In medio nigreſcens, circa oppoſitionem. 37

*Pro natura mediĳ magna in aere varietas.*

*Qualis eſt aer, qui radio oculari & Lunæ interponitur, tale eius corpus & lumen eſſe, perbellè imponit. Lunaris ſchematiſmi particula terræ propinquior,*

propin-

*propinquius ſui curriculi tempus priſcis deſignauit: remotior, remotius: media, mediũ. Cuius rei demõſtrationes, cum alijs etiã ad Lunæ aeromantiã pertinentibus, propediem σὺν τῷ Θεῷ, κὴ ταῖς μούσαις, tibi noſtra Lunæ & Oceani concordia candidè exhibebit.*

38 Luna ante diem quartum ſpirante Auſtro (modò nulla cauſarum ex ſuprà dictis obſtiterit) non cõparens, hyemalem aeris conſtitutionem toto ferè menſe promittit.

*Significãt hæc à nubibus pluuijs Lunã intercipi, atque Auſtros cũ uaporoſo aere ad ſtillicidia uiã facere.*

39 Luna in primo ſuo exortu cornua ſolito nigriora, craſſioráq; habẽs, horridã tẽpeſtatẽ, & imbriferã illa excurrẽte reuolutione portẽdit.

*Quia aer ob craſſorũ & humidorũ fumorũ præſentem cõſiſtentiã, ſurſum obatreſcit, & addenſatur, ideo Lunã qualẽ depingit aphoriſmus, nobis repræſentat.* *Aeris obnubilatio à fumis craſſis.*

40 Si Luna falcatã ſui corporis particulam tam gibbã quàm ſimam atro colore (ceu veſte quadam lugubri) induerit, venientes pluuias illam indicare certus eris.

*Cauſa de iam dictis, uel mediocriter erudito, tam patet, quàm ſua unicuique domus.*

41 In vtriſq; Lunæ dichotomis lumen per totũ lucentis ſemicirculi ſegmẽtum liueſcere, vel nigricare ſi obſeruabis, pluuia haud fruſtra terrebere. Quod ſignum ad tertiam & quartã Lunæ ætatem non ineptè etiam adaptaſſe viſi mihi ſunt antiquorum plerique.

*Cauſa*

*Cauſa cum ſuperioribus aliquot, & proximo, eadem.*

Luna primula, corniculum alterum altero elatius & ſubplumbeum nonnihil exhibens, pluuioſam hebdomadem præſagit: imò verò ſecundum nonnullos, menſtruã bona ex parte peragrationem illam. 42

*Vapores phantaſiarum in aere materiam præbent.*

*Hæc, uaporũ (ex quibus pluuiæ poſtea cõcreſcent) aſcenſum liberali manu ſurſum factum, oculis noſtris imponere teſtantur. Videtúrque Lunæ cornu alterum attolli, & plumbeſcere, ob illi ſubſtratã (licet fortaſſe uiſum fallat) caliginoſioris effumationis concretam portiunculam.*

Si ſuo tempore, & modo, non comparebit Luna, aut nubem feneſtratam architectari videbitur: pluuias, ni validè ſpirauerint venti, licebit expectare. 43

*Innuunt hæc, aerem humida materia & uaporoſa, quæ Lunam furtim nobis intercipit, ſcatere. Adhæc roridulam nubem inæqualiter perreptantem, & alicubi præ raritate diuulſam, Cynthiæ opponi. Quæ ut illam, ueluti per tranſennam, facilè retegit, ita mortalibus ſpectandam identidem exhibet. Ventus ingens nubes etiam pluuias & uaporoſas, potenter diſgregat: & ni craſſæ ſupra modum profundǽq; fuerint, in nihilum (ob motum, quem cum exhalatione perpetuum habet comitem) celerrimè redigit.*

*Ventus ingens vaporoſas nubes diſgregat.*

Luna ferrugineã faciem contorquens, vulgò pluuialis haberi ſolet: cuius extremorum corniculatum alterum altero ſublimius deprehenſum, 44

henſum, ſemipluuiam aeris conſtitutionem pollicetur.

*Cauſæ de ſuperioribus tam ſunt notæ quàm eſt ſuis (quod dicunt) canibus Delia, aut ſua Mineruæ olea.*

45 Lunaris radius in nocturna nauigatione ad remos ſcintillans, humidum aeris ſtatum breui adfuturum nautis hactenus præmõſtrauit.

*Hæc ab argenteo Lunæ radio, remos nauium interiectis uaporibus craſſiuſculis, cum ſpectantis oculo modulari exiſtimabis.*

Radius in materijs pa ratis multa confingit.

46 Lunæ radij obſcuriores, craſſiores, breuioréſque in terram deſuper tranſmiſſi, pluuias promittunt.

*A' uaporibus multis aerem infarcire occipiẽtibus, Lunæ radios tales confingi tibi perſuadebis: qui caligante medio, ne deorſum ferantur prohibiti, in ſeſe recurrentes, illico craſſeſcunt, & facilè contrahuntur. Quibus ex ſuperioribus adijciendum, quòd omnia in humido iacentia, uel per illud uiſa, craſſiora & obſcuriora ſeſe proferre plurimùm ſolent.*

Radij quomodo craſſiores euadant.

47 Lunam nocturnos ſuos equos agentem ſi præcinxerit verſicolor circulus, non admodum tranſparẽs (qualis eſt Iris, vel huius plumæ alius) aquam vnà cum ventis affatim deſcenſuram teſtabitur.

*De uaria interpoſitorum uaporum multitudine, natura, & conſiſtentia, hæc diſpoſitio concurrente radio cæleſti & oculo, exurgit. Cauſas alias, de his quæ in Sole diximus, repoſces.*

Luna

Luna diebus antea memoratis, ſine corni- 48
bus, vel cum obtuſo illorum apiculo conſpe-
cta, hyemalē aerem, atque adeò pluuias por-
tendere nata eſt.

Opacus aer.

*Talem Lunæ faciem ocularis radius in opaco aere delineat.*

Phœbe corniculo ſummo maculoſa nigre- 49
ſcens, pluuioſum menſis exordium proferre
nihil cunctatur.

Niger color & maculæ in nubibus, vnde.

*Niger color fit in nubibus minus diaphanis, & proinde pluuijs: maculæ ſunt ab inæquali nubis connexione, & reſperſis aquoſæ materiæ guttulis. De ſupremo Lunæ corniculo, habes ſuprà.*

Luna circa ſui globuli partem, quæ luminis 50
eſt expers, coloribus inſignita, nimbos quan-
doque præſagit.

*Cauſa de ſuperioribus eſt petenda, ne eadem Coccygis in morem identidem occinens, candido lectori moleſtus plus æquo uidear.*

Lunares circuli diuerſis horis plures viſi, & 51
ſemper in nigerrimas nubes exoluti, magnos
imbrium exceſſus metuendos admonent.

*Aer uarias nubes ſubinde aggregans, & in his lunares circulos (qua ſuperius dictum eſt formula) architectante radio, admittens, in pluuioſam denſitatem facilè tranſit.*

Halo Lunaris, ſeu corona.

Area ſeu circulus, Grȩcis ἅλως nūcupatus, 52
Lunæ corpus (cælo alioquin ſereno) ſub colo-
re rufo, cæruleo, vel liuido, indiuiduè circun-
ſcribens

ſcribens, aeris cõmotionem in aquas portendit. Qui ſi alterũ, vel plures comites ſibi aſciuerit: quò numeroſiores erunt & obſcuriores, eò vehementiorem, validioréḿq; tempeſtatem ſignificabunt. Quanquã Peripatetici Lunares areas, quàm Solares, ventoſas magis eſſe contendunt.

*Vapor (ut ſic dicã) Halonicus cõſiſtens, nec reſolutione uel extenuatione tabeſcẽs, ſignificat id ex quo cõ creuit craſſiuſculũ eſſe, nec leuiter diſſipari. Multitudo recurrẽs, materiæ uaporoſæ & humidæ prouentũ in aere largiſſimũ oſtẽdit. Quomodo fiat Halo, & unde generetur, abũdè apud Ariſtotelẽ. quanquã ſcholium aphoriſ. ſexti, nõnulla interim expedire utcunq; potuit.* *Circuli Lunaris natura.*

53 Si nocturnæ Lunæ, Gręcis παρασελήναι dictæ, ad auſtrale cæli latus plures comparebunt, magnarum pluuiarum ſigna extempore exhibebunt.

*Auſter hauriẽdis aquis nobis peropportunus, quidquid ſecũ aduehit, pluuiã ferè redolet. Quomodo fiant Paraſelenæ, quas Lunas alteras dixerũt nõnulli, quanquã de his quæ in Parahelijs ſuprà attulimus, innoteſcere poteſt, tamen ne nõ philoſophiæ candidatis obſequar, aliquid adijciam. Certum eſt Lunam ſecundã, quæ prope ueram nõnunquam apparet, ex refractione uiſus à nube uicina læui, humida, & æquabiliter denſa in corpus primæ fieri, & ibidẽ nõ aliter quàm in affabrè facto & bene terſo ſpeculo elucere. Quod tamẽ in Sole dũtaxat agnoſcere mihi uidetur Ariſtoteles, qui eã apparitionẽ, ut antea adnotauimus, παρή-* *Quomodo generentur Paraſelenæ*

*λιον inſcripſit. Ergo quòd humida ſit nubes ea, pluuiam portendet.*

Ab alijs licebit (inquit Aratus) alia ſigna 54
*Circulorum circa ſtellas præſagia.* & per noctem, & diem elicere. Obſeruabimus itaq; & coronas ſeu circulos, circa primę claſſis inerrãtes ſtellas, aut errantes viſos. Nam ſi nigreſcẽt, aut cærulei, rufi, viridéſve erũt: vel ſydera ipſa obtuſam aciẽ, & craſſiuſculũ torpentémq; radiũ præ ſe ferent: pluuias dabũt.

*Hæc ab humidis fumis, uel pluuijs uaporibus, adhæc nubibus æqualiter læuigatis, necnon per aerem proiectis, fieri intelliges. De formatione coronæ, & colorum ratione, ſuperius copioſe & abundè.*

Pluuioſam tempeſtatem, ſtellas inſigniores 55
præſagijſſe obſeruatũ eſt, quoties orbiculum liueſcentem plurimæ induerunt: vel fulgorẽ paucum, eúmque obſcurum, nulla nebula aut caligine interueniente, nec item Luna pleno cornu lucente, emiſerunt.

*Liuor in aere nubiloſo, vnde* *Totus hic aphoriſmus cum præcedenti, ferè in idem recurrit. Liuor in aere, ſimilem circa ſtellas phantaſiã effingit, qui non aliunde quàm ab humido ſeſe paulatim in pluuiam nubem cogente, minúſq; difflato, manare ſolet. Radij per medium caliginoſum ac denſum diffuſi, obſcuriores euadunt.*

## AER.

NVBES. NVbes rufæ vel ferrugineæ, matutinũ Solem præcurrentes, pluuias minantur. Veſperi purpuraſcentes ſerenitatem. 56

Meridies

*Manè rufeſcunt nubes, quòd in aquoſa effumatione aurei, & rutilantes Solis radij excipiantur. Quod ita eſſe oſtendit fumus ex accenſis uiridibus lignis & præhumidis excitatus. Ibi enim quando flamma, Solis imago, cum craſſo fumo, madente, & multo concurrit, ſubrufa proſilit: ex ſiccis, & raris, alba & clara.*

Vnde nubes rufeſcant.

*Purpuraſcunt nubes ueſperi, aut propter inflammationem aeris, aut propter magnum, & ueluti retorridum retuſúmq; Solis radium: qui incidens in nubem humidam, non penetrat quidem, ſed repercuſſus duplicatur, & nubem deſuper ueluti oblinens, rubro colore intingit. Quanquam Mars natura igneus hîc cum Sole permultum poteſt.*

Purpureæ nubes, quomodo fiant, & quãdo.

57 Nubes liuidulas carptis vellerũ particulis, vel ipſis integris velleribus ſimiles, cõfertim per aerem à Meridie, vel aliunde concurſare ſi videbis: intra triduum plus minus aquas expectabis.

*Significat hæc diſpoſitio aerem à uaporibus pluuijs immunem nõ eſſe: qui hinc inde pulſi, in nubem continuam, & pluuias parturientem coagmentati tandem abeunt.*

58 Nubes multæ etiam roſeæ, horizonti æquidiſtantes, parte infima ſi nigricabunt, aquas portendent.

*In corpus nubis aquoſum uaporẽ cogi incipere, hæc oſtendũt: qui terras humida aſpergine ſalutare ſatagit.*

59 Nubes quæ à Meridie in Septentrionẽ tendunt, bona ex parte pluuiarum nuntias eſſe, & teſtatum, & obſeruatum conſtat.

*Meridies, & ſeptentrio.*

*Meridies nobis pluuius eſt: ſeptentrio frigidus: cui peculiare eſt de humidis corporibus ſtillicidia cõprimendo, & cogendo, elicere. vel quòd uentus omnis eo in loco ſerenat, unde ſpirare cœpit. In oppoſito, uel haud ita procul, pro detruſarũ nubiũ & loci natura, aerem uel obſcurat, uel compluit, uel aliter mouet.*

Nubes obſcurę, & profundę (cęli καταῤῥά- 60
κτας nõnulli dixerũt) ex eo horizõtis tractu,
vnde ſpirat vẽtus emergẽtes, quãtò vniformi
nigrediẽ nigriores erũt, & hemiſphęrij ſpatiũ
maius cũ vẽto creſcẽtes occupabũt, tãtò certiꝰ
pluuiã, eámq; ingẽtẽ, ac diu duraturã refũdẽt.

*Quid obſcuritas in nube deſignat.*

*Obſcuritas in nube, & dẽſitas, inculcatã cũ grauitate humidã uaporũ multitudinẽ teſtatur: quæ pluuias ruptis aggeribus, affatim tandẽ emittet. Ventus aquoſas effumationes quaquauerſum diſperſas alarũ remigio (ut paſtor cane gregario oues) ab horizõtis circũferẽtia umbilicũ uerſus preſſius cogit: ex hiſq; ualidas, & abruptas pluuias exprimit, Reliqua de ſupra ſcriptis illuceſcũt: niſi quòd catarrhactas hîc interpretaberis cæli ueluti patentes feneſtras: ex quibus præcipites ex alto nõ dicã labuntur ſed ruunt aquæ: nã id καταῤῥάσσειν Græcis ſonat. Hinc Nili in AEgypto catarrhactæ, de quibus apud Geographos multa.*

*Quid hic catarrhacta.*

Nubes haud procul ab horizonte cumula- 61
tim glomeratæ, ita vt ſuccedentibus à poſti-
ca, ęgerrimè cedant, pluuioſam aeris conſtitu-
tionem imminere oſtendunt.

*Vaporum addenſationem, & in pluuias ſeſe colligentem materiam, hæc palàm arguunt.*

Ven-

62 Ventus imbecillus ſic ſatis, identidem ſpirans, & breui tempore in diuerſas horizontis regiones hinc inde errãdo ſeſe cõuertens, venturæ pluuiæ teſtis eſſe plurimùm conſueuit. VENTVS.

*Ventus modicus, quia calidæ aſpirationis parum habet, à frigiditate mediæ regionis aeris uictus, in nubem quæ pòſt pluuiam ſtillet, cum uapore tranſire poteſt. Nam nulla exhalatio uentorũ materies tam ſicca eſt, quin humidi aliquid non habeat: nec uapor item tam humidus, quin ſicci nonnihil capiat. Sed omnia, inquit Ariſtoteles, κατ᾽ ἐξοχὴν enuntiantur.* *Ventus modicus quid agat.*

63 Poſt Ecnephiæ caſum (qui ventus eſt magnus, cõtinuus, violẽtus, tumultuoſus, & procelloſus) pluuias plurimùm ingraueſcere, author eſt Ariſtoteles. *Ecnephias ventus qui & procella.*

*Ecnephias fit, cum in nube ſpiritus multus & craſſus ſurſum aſcendere eluctatus, nube relicta deorſum uiolenter repellitur, ex qua imber poſtea erumpit. De Typhone, qui illi nonnihil eſt affinis, in Meteorologia noſtra audies.*

64 Hyberna tonitrua, vt etiã AEſtiua, manè & quãdoq; veſperi audita, aquã ſignificãt. Itidẽ ſi Autumno à Borea plurimum coruſcabit. TONITRV.

*Nobis rara ſunt hyberna tonitrua: AEſtate, crebra: initiante Autũno, crebriora: procedẽte Vere, creberrima. Matutinus Sol & ueſpertinus à centro horizontis remotior factus, quia radios obliquiores mittit, ideo tonantes nubes, & in pluuiam coactas diſſipare, diſgregaréque minus poteſt. Boreas in madidum Auſtrum apud nos nonnunquam degenerans, ſeſe meri-* *Solis in nubem vires.*

*dianæ diatribæ regendum, formandúmque aliquoties committit: alibi non item.*

Vere, & Autūno, necnō ſub AEſtatis initia, ſi plus tonabit Iuppiter, quàm fulgurabit, hyemalis aer expectandus erit: eóque infenſior, quò frequentiora ex quatuor cæli cardinibus, de grauida nube percrepabunt cum fulgetro tonitrua. 65

*Vnde in aere tonitru.* *Tonitru (ut quibuſdam uiſum eſt) fit ob extinctionem ignis in nube aquoſa. Quod ſi eſt, ubicunq; aderit, ibi & pluuiatilem nubem adeſſe neceſſum eſt. De fulgure, audies poſtea.*

FVLGVRATIO. Per ſerenā diem, vel noctē, ab Auſtro, nube ibidem percepta, multū fulgurare ſi videbis: poſtridie pluuiam formidabis. Si à Choro, Fauonio, aut Euro: flatū vel leuiſſima ſtillicidia. 66

*Oriens Meridies & Occaſus.* *Omnia (ut diximus) ab Auſtro prodeuntia, uaporem, & humiditates præſentes, uel futuras nobis idoneo tempore & loco ſpirare plurimū ſolent: ab Heſpero, & Aurora, minus: quòd tenuata materia illinc miſſa, in flatus facilè abeat. Ad quæ accedit, quòd ab exhalatione, humidi (ut ex Ariſtotele diximus) nōnihil habente, coruſcatio proficiſcitur: quæ ſi plurima eſt, & Auſtralis, ob loci ἰδιοτροπίαν pluuiolas nōnunquam de nube ſpargit.*

Coruſcationes manè, veſperi, & per noctem abſque tonitru (aere nubibus turgente) affatim promicantes, pluuiam breui promittere neſcius non eris. 67

*Coruſcatio*

*Coruſcatio eſt exhalationis accenſio celeritate motus proficiſcens: quæ quia grauidam nubem comitem hîc habet, idcirco reſoluentem calorem imbecillum, & proinde pluuiam propinquam arguit.* *Quid fulgetrum, ſeu coruſcatio.*

68 Ad Meridiem Noto perflante, ſi de montis vertice coruſcabit: vel Zephyro ſpirante, ad Boream: futuræ pluuiæ, aut tempeſtatis pręludium habebis.

*Coruſcationes (ut antea adnotauimus) à calore ſunt, qui unus cæleſti foco adiutante, uapores ad pluuiæ conſtitutionem, quaſi habenis quibuſdam ſurſum agi ſolicitat, nedum præpedit. Madidis alis Notus euolãs, & Boreas Auſtri cellaria complens, ad hæc Zephyrus Notũ à latere ſtipans, quandoque nubicogi, & ob uiciniam pluuij apud nos eſſe ſolent uenti.* *Calor vaporũ eſt veluti funis quidam ductarius.*

69 Irin aere alicubi nubiloſo cõſpectam, aquas breui ſpargendas exhaurire, fidẽ hactenus fecit obſeruatio. Quæ ſi in Meridiem deflectet, illarum vim maiorem accumulabit. IRIS.

*Iris arcus eſt uerſicolor, in rorida nube opaca, & cõcaua ab oppoſito Solis radio, uel (ut quibuſdam placet) per reflexionem radiorum uiſus ad Solem, modulatus. Cuius imago, ſi in Auſtrum nobis pluuiarũ (ut toties monuimus) parentẽ, ſuum arcum intendere ſpectabitur: illinc quod deorſum iaculetur, abunde inuenire certũ erit. Adijciam quòd quò propius horizontẽ fuerit Sol, eò maior apparebit Iris mille trahẽs uarios aduerſo Sole colores. Quorum præcipui ſunt Puniceus, Viridis, Flauus, Violaceus, Citrinus, Ruber, & Cæruleus.* *Quid iris, & quomodo fiat.* *Colores Irin comitantes.*

Iris Sole occidente ad Orientem ſi emine- 70
bit, tonitrua vel pluuias, conſpirante anni parte, ſpondebit: eóque certius, ſi aut gemina, aut multiplex apparebit.

Iris multiplex, quid portendat.

*Significat nubes pluuioſas in quibus lumen Solis, uel arcus ipſe, tanquã in ſpeculo conſpicitur, inualeſcere: & ob cadentem Solem, eúmque imbecillum (frigente iam tum Eoo tractu) diſſolui ægrè poſſe: unde quo plures apparebunt Irides, aquoſarũ nubium & in minutulas guttulas coeuntium multitudinem, denſitatémque maiorem teſtabuntur.*

Conſtantes & cõpletæ, diúq; vigentes Iri- 71
des, ex tranquillo cælo tẽpeſtuoſum, & ex ſereno pluuium plerunque portendunt. Quod ad Lunares, perinde atque Solares, nõ ineptè etiam adaptabis.

*Cauſa de ſuperioribus nota eſt, ꝙ in nube humida & pluuiatili maximè confingantur Irides. Addendum quòd ſecunda primæ imago & idolum plerũque eſſe ſolet. Iris Lunaris quia colores dilutiores habet, idcirco rarior deprehenditur: quo enim Lunæ, q̃ Solis lumẽ debilius eſt, eo minus efficaciter refringitur, ac reflectitur. Vnde à Cynthia pleno cornu lucente, Irides duntaxat fieri contendunt Peripatetici.*

Iris Lunaris natura.

## AQVA.

ROS.

ROs qui ſuo tẽpore & loco adeſſe debuit, dũ 72
aberit, nec venti eius materiale fomentũ diſſipantes vſpiam comparebunt, pluuiã, aut flatus inſtare coniectandum erit.

Hæc

*Hæc oſtendũt tenuẽ materiam & uapidã ex qua gigni debebat ros, incraſſatã ſurſum fuiſſe: adeò, ut in pluuiam conuerti tranſiréque facillimè poſſit: uel quòd tenuata à calore magis atque magis illius aquoſa conſiſtentia, in flatus migrarit.* Vapor tenuatus in flatus abit.

73 Nebulã aut caliginẽ per inferiorẽ aerem latiſſimè effundi, ſurſúmq; paulatim perreptare ſi videbis, pluuias prӕſtolaberis. Sin à Sole diſgregari, aut infernè ſenſim abſumi, ſerenitatẽ. NEBVLA, ET CALIGO.

*Caligo, ut dictũ eſt, & nebula colligentiũ ſeſe humidarũ nubiũ ſunt ueluti uaporoſa excremẽta: quæ ſi in mediã aeris cellulam pluuijs gignẽdis deſtinatã tranſuolabũt, actutũ ob loci naturã cũ uapore in aquas cogẽtur. In infima ſi ſubſiſtent, quia calidior eſt, in nihilũ abibunt. Cauſas omnium dabit Cometographia noſtra.* Quid Nebula, & caligo.

74 Pluuiatiles guttæ ſubalbeſcẽtes, & amplas magnáſq; bullas deorſum moliẽtes, ſtillantiũ aquarum durationem, & ſi cum mora aderũt, concitationem, non obſcurè teſtificabuntur. GVTTAE Pluuiæ.

*Albus color, ab imbecillo calore eſt, qui minimum (ut diximus) coquit & reſoluit. Ampullæ multitudinẽ uiſcoſorũ & nonnihil flatulentorum uaporũ, qui non ſtatim diuelluntur, ſed diſſipationi ſui diutiſſimè reſiſtunt (quod etiam mora indicat) in aere ſupereſſe annuunt. Nam ab his bullas fieri, uel docent ampullatæ puerorum ſphærulæ, per tubulum anguſtum ſaponata aqua uel alia quauis ſubuiſcida imbutum agente leni ſpiraculo modulatæ.* Ampullæ ex pluuia, quid innuunt.

75 Pluuia ſtillicidijs primis perexigua, deinde paulatim inualeſcẽs, ingentiores aquas quàm PLVVIA.

ſi cum impetu derepente cecidiſſet, adfuturas nuntiat.

Nullũ violentũ perpetuum.

*Quod uiolentum eſt, & repentinum, quia uires omnes cum impetu ilico exhaurit, parum conſtans & durabile eſſe ſolet: cõtrà, quod paulatim, & lentè procedit. Nam ſenſim robur (ut fama) colligit: quæ parua gradu primo, uires acquirit eundo.*

Aqua affatim (vt ſic dicam) pluta, ſi quàm 76
conſueuit citius abſque ventis reſiccabitur, nimboſam aeris cõſtitutionẽ pro foribus ſtare indicabit.

Pluuia, pluuiam parit.

*Vt abyſſus abyſſum parit, ita aquã aqua. Nam ex recenti nupérque lapſa pluuia, copioſi denuo ad nouam ſobolẽ, cælo imperante, ſurſum mittuntur uapores: quos uentus, per ſuam abſentiam, cum deturbare non poſſit, mirũ non eſt ſi exhauſta parte ſubtiliore, aerea magis & uaporoſa, quod relinquitur, facilè ſicceſcit, ac in lutum abit.*

Si abſente Solis radio reſtagnãtes aquę prę- 77
ter ſolitũ incaleſcent: pluuiã non paruam, licet fortaſſe ſeram, minabuntur.

Inſolitus calor in aquis vnde.

*Vigente poſt multũ Solẽ nubiloſa cæli cõſtitutione, aer inferior magis & minus pro loci, & partis anni natura ſolet incaleſcere: partúmq; ſemel calorẽ pertinaciter, dato ſurſum & deorſum (perinde atq; in hypocauſtis) repercutiente obſtaculo continere, ac ſtagnantibus aquis impertire: quem ubi conceperunt, quòd craſſiores ſint, & motu careãt, obſtinatè ſeruant. Poſſunt & ab auſtrinis flatibus calere. Vtut ſe res habebit, calor aquas tenuat: tenuatæ aquæ ſtimulante cæca uia cælo, ua-*

*lo, uapores ſurſum multos emittunt, ex quibus tandem fit pluuia.*

78 Vapidum neſcio quid,& veluti roridũ,perpolitis parietibus ac vitreis corporibus,necnõ ligno,& ferro,hærere conſequentibus diebus aliquot, abſque manifeſta cauſa, ſi videbis:& lachrymabile quiddam , ſaltem de ſuperficie præ ſe ferre:pluuiam intra breue tempus adfuturam haud dubiè expectabis. PARIETES, LAPIDES, & ALIA.

*Hæc motum uaporum ab inferioribus per aerem ad ſuperiora fieri commonſtrant:qui,quia pingues nonnihil ſunt, paratis in occurſu corporibus promptiſſimè inuiſcantur,& hærent.*Vel,*quòd uapores à uento repercuſſi,ut uegetiores aſcendant,deſcenſum plerunque moliuntur.quod dum fit, ſuos errores per inane hinc inde effuſi,ſolidis rebus & læuigatis uel de ueſtigio nõ obſcurè produnt:quos aſpera corpora, quòd ſpongioſa plurimũ ſint, & ſicca,necnon cauernoſa, ut emulgent,& occulunt, ita facilè mentiuntur.*Cauſam aliã *adijcere poteris, quòd in ipſo terræ & aquæ exitu, uel haud ita procul,quia frigidis corporibus & prædenſis obuiant: ideo per eam auræ tempeſtatem ilico craſſeſcunt,ſéque omnibus palàm manifeſtant.*

*Vnde lachrymas ſtillare videantur parietes.*

*Vaporũ natura à frigido craſſeſcere parata.*

79 Mare ſereno cælo longè latéque reſonãtia littora miſcens,vel ſolito plus murmurillans, pluuias aut ventos promittit. MARE.

*Auſtros mare cõcitãtes ſpirare,ac penitius occultas turbas mouere,pluuiáſq; accerſere,innuit* Aphoriſmus.

80 Diſperſæ maris ſpumæ, & ſubitæ inſperatæque fontium ac fluuiorum exſiccationes, ingentẽ

ingentem pluuiam, licet tardam, antiquis ſignificauerunt.

Spumarum diſtributio, & fontium reſiccatio, vnde. *Partim à ſæuientibus Auſtris, partim etiam de commoto & agitato tumeſcentéque mari, ſpumarum hæc diſtributio oboriri poteſt. Inſuper quia calidus auræ ſtatus multũ de fontibus & fluuijs per æſtatẽ (ad quam præſens Aphoriſmus, ut alij plerique, referri maximè debet) abſumpſit, & ad aquarũ fœturam hauſtu inſenſibili, auxiliares etiamnũ manus porrigẽte cælo, ſurſum tranſmiſit, idcirco fontes ſitire, & quæ ex his manant flumina ſicceſcere, mirum non eſt.*

ARENA. In littoribus & ripis oblongi arenarum cumuli, fremẽte mari aut fluuio hinc inde diſiecti, pluuiam non ſecus demonſtrant, quàm ſi obatrum, & proſpectui ægerrimè patens fuerit pelagus. 81

Vnde niger color circa mare. *Conſurgunt in cumulos arenæ, & pontus turgétq; fremítque, à ualido uentorum, & exurgentium uaporum motu. Color circa mare niger & obſcurus, fit ob caliginoſos uapores, qui affatim ab aquis ſurſum migrant, & aerem obſcurãt: uel ab Auſtro, cum marinis aquis uapores confundente, & oculis ueluti tenebras obiectante, falſámq; rerum phantaſiam exhibente.*

## TERRA.

MONTES. MOntes æditiores in rebus aeris obſeruari ſoliti, ſuos vertices nubibus ita obueſtitos ſi habebunt, vt hinc ab hominum aſpectu etiam cominus excludantur, pluuias ingruere manifeſtabunt. 82

*Indicant Solem & ſtellas, pluuiatiles uapores ſuo calore*

*calore reſoluere abſumeréque minimè poſſe: qui per mediam aeris cellulam, cui præcelſi montes proximi ſunt, inſtrati, montium iuga de medio, ac ſi non eſſent, ſublata eſſe ad tempus nobis falſò imponunt.* *Vapores nobis multa mentiũtur.*

83 Montes halitum denſum vſqueadeò & craſſum, vt ne à Sole quidẽ & vẽto diſpeſci poſſit, perſpirare viſi, futuræ pluuiæ ſigna omnium oculis admouent.

*Talis diſpoſitio aerem à uaporibus ſumma petentibus craſſis & pluuijs obſideri arguit.*

84 Præruptorum montium, ſyluarum, turrium, & cãpanilium ſolitus color manè, aut veſperi diſparens, vel aliã à conſueta faciẽ pallidam præſertim, aut caliginoſam præ ſe ferens, venientium pluuiarum augur tibi cenſebitur. TVRRES, SYLVAE, *& alia.*

*Hoc fit propter mediũ uaporoſum, à quo præterquã quòd oculorũ acies obtũditur, etiã uiſui quaſi præſtigiæ emergunt. Addendum, quòd omnia in humido (ut dictũ eſt) uel circa illud ſtãtia, à ſua forma & natura pro hallucinato oculorũ ſenſu degenerare exiſtimãtur.* *Propoſitio ex perſpectiua.*

85 Si magnos audis fragores mõtibus altis, MVRMVR,
Ac ingens paſſim nemorum increbreſcere murmur: PALEA,
Si ſpectas paleam, & frõdes volitare caducas: & FRONDES.
Et ſumma nantes in aqua colludere plumas: *Georg. 1.*
Inſtantis venti rabiem, pluuiáſque timeto.

*Auſtros ſurſum tumultuari, & luctantes pluuioſorum uaporum copias per inane exſpatiari, undq; leuiſſimarum rerũ, & ſequi paratarũ corpuſcula ſecum importare hæc commonſtrant.*

Capſula-

LIGNA, & SAL.

Capſularum ligna, in quibus carnes ſale con 86
diuntur, ſtillatim quaſi collachrymare ſi videbis: adhæc ſalem in vaſculis vltro liqueſcere: pluuiarum futurarum teſtimonia hinc meritò adaugebis.

*Aer humidus corpora parata humectat.*

*Aer humidus, & uaporoſus, reſolui opportunũ quicquid attingit, in aquam ſibíque ſimilem naturam facilè tranſmutat. Auſter ex quo calidus eſt, & humidus, denſa (ut ſtatim dicemus) rarefacere, & ſtricta elaxare nonnihil poteſt.*

CARDVVS.

Spinoſus cardui echinus ex agris, vbi habi- 87
tior factus eſt, domum comportatus, & in ædium tabulatis, camino vel contignatione, aut alibi appenſus, horrentes aculeis, & patentes ſuas alas ſi clauſerit, ſéque veluti in nouum habitum pro tempore compoſuerit, venientis pluuiæ ſignum renouabit. Quod in Prouincia pueris & ſenibus tam eſt notũ, quàm Neptuno ſuum mare.

*Significat madidulos uapores, ſenſim ad pluuiarum generationẽ ab imo, ui cæli, ſurſum tolli: qui dum per inane uagantur, & aurigante aere errabundi ſeſe ubique (qua data porta) inſinuant, à fathiſcente, humidi penuria, capitato carduo, & ſitibunda interiori lanugine, quaſi apertis faucibus auidè emulgẽtur. Quibus exſaturatus, & affuſo cæca uia madore (ut ſic dicã) recreatus, ſeſe tandem recolligit, & uires reparat, lapſáque membra leuat. Addam ex Marone,*

*Virg. lib. Georg. I.*

*Quod ſi Iuppiter humidus Auſtris*
*Denſat erant quæ rara modò, & quæ dẽſa relaxat:*

sic

*Sic & clauſa aperit, claudit aperta quoque.*

*Ergo rei huius cauſa humido uapori tantiſper dum ſumma petit, per aerem longè latéque ſparſo aſcribenda erit. Quod qui negare obſtinatè perget, ore aqua colluto ſi in cardui faciem molliter ſubinde ſpirabit, fidem, urgente experiẽtia, uelit nolit, ultro nobis dabit.*

88 Lucernæ oleum, aut flammam quaſi iniecta aqua frequenter inſolentérque, modò cauſa in oleo non fuerit, ſcintillare, & putres (vt habet poeta) emittere fungos, ſiquando proſpicies, hyemalem aerem inſtare memor eris. OLEVM, & FLAMMA.

*Cauſa à ſequenti parum, aut nihil uariat.*

89 Foculum ægrè lucere & incendi, modò cũ materia difflatio ob ſtruem intercepta nihil præpediret, quoties animaduerterũt antiqui: Similiter in ardentibus ellychnijs callum veluti obduci, & cruſtaceũ neſcio quid adnaſci: idem quod antea diligenter adnotarunt. FOCVS.

*Hæc fieri non ineptè tibi perſuadebis, à craſſiuſcula & humida euaporatione, hinc inde per aerem oberrante, quæ quemadmodũ terreas ellychnij partes & fuliginoſas, humido ſuo per incẽdiũ deſtitutas, circa lucernæ labrum facilè glutinat, ita cæca aſpergine imbutas ad caducam conſiſtentiam ſenſim reparat: cuius congreſſum, tanquam hoſtilem & aduerſarium, quia flamma ferre non poteſt, idcirco rixari & ueluti indignabunda perſtridere, ſcintillaréq; ſpectatur. Amplius, quia uapor ipſe ſúſque déque aerem obſidet, ac ignibus undequaq; circunſtans ſeſe remiſcet, ut ægerrimè accendantur & luceant in cauſa eſſe poteſt. Quæ res*

*Vnde in lucernis ſtridor, & ſcintillatio.*

*res etiam diſſlationem prohibet: quæ una, modò mitior fuerit, flãmæ & lucis uehiculũ non paruũ excitabulúmque haberi ſolet. nam Lenis alit flãmas, grandior aura necat.*

Si per caliginoſam noctẽ debitè, vt par eſt, 90
non mouebitur lucernæ flammula, luménque ipſum quaſi langueſcens, etiam affuſo, quod ſatis eſt, oleo emarceſcet: præterea apparebunt eius radij ſolito denſiores: adfuturæ pluuiæ teſtimonia haudquaquam vana hinc ſumes.

*Vnde motus palpitans in lucernarum flammula.*

*In craſſo aere madente & uaporoſo quia flamma ætherei ignis imago non obſcura, liberiore uia & perſpirabili caret, ideo motum à ſe & ſua natura alienũ dato obſtaculo aggredi cogitur. Ad quæ accedit, quòd conſcendentes uapores, aerẽ & quæ in eo parata ſunt corpora, leuiter mouent ac madefaciunt. Nec omittendum quòd uaporoſum & caliginoſum medium, radiorum è lucerna & oculo proſilientium craſſitiem, falſa neſcio qua phantaſia perfacilè mentitur.*

IGNIS, & CINERES

Si ignis quem extinctum putas, aut cineri- 91
bus bene cõditum, fauillam, ſcintilláſve identidem excuſſerit: adhæc cineres in foco abſq; manifeſta cauſa concreſcent: pluuias vel tempeſtates certò tibi ſpondebis.

*Vnde igniũ fauillaceæ ſcintillationes.*

*Cauſam humeſcenti aeri aſcribes: qui quia uaporoſus eſt & nonnihil uiſcidus, agente uento per infumibuli emiſſoria, uel quomodolibetcunque aliter, terreas cinerum particulas facilè colligat: cuius impetum tanquam contrarium, & præſentes inſultus, quia ignis ferre non poteſt, ſcintillas ceu iræ fa-*

*uillas*

*uillas in illum euomit, & quas habet machinas ut infenſiſſimum hoſtem extrudat, cæſim & punctim adhibet.*

92 Ignes quoſcunq; palleſcere, & non cogente materia obmurmurare ſtrepitaréq; ſi videbis: inſuper candentes carbones nonnulla miliaceis granulis affinia, & circùm ſplendicantia oſtentare: pluuiarum auguria non omnino vana hinc elicies. CARBO.

*Id factum putabis ob craſſiuſculos, & nonnihil uiſcidos uapores undequaq; per aerem dum ſurſum nituntur diſſeminatos, ac ignibus ſeſe quoad eius fieri poteſt, nō ſine terrearum partium concretione longè latéque ſociantes, quos abſque pugna & ſtrepitu ab igni eluctari, ægrè poſſe ſcies. Pallor à circunſtante humido uapore eſt. Murmur à uaporoſo ſpiritu.* *Pallor in igne, & murmur vnde.*

93 Flamma in foculo nulla præſente cauſa ſuppreſſa, aut fumus per camini ſpiracula liberè non euolans, pluuiam haud procul abeſſe (modò liberioris aeris facta illi fuerit poteſtas) nō obſcurè teſtabitur. FLAMMA, & FVMVS.

*Vapor pluuius aerem denſat, & difflationes cum perſpiratu (ſine quibus flamma eſſe non poteſt) liberius fieri, necnon ab ardentibus lignis halitus rectà per proprios carceres ſurſum ferri impedit. Quibus addes pluuia Auſtrorum ſpiramenta, aerem nō dicam incraſſantia, ſed omnia ad motū pigriora reddentia.*

94 In agris, nullo pręuio motore, exauditus fragor, & veluti cęli murmur, nō dubiā pluuioſæ tempeſta- FRAGOR.

tempeſtatis ſignificationẽ coniunctã habet.

*Auſtros ſurſum prælia inire, & nubila uariè miſceri, denique uapores pluuiam in grauida nube parturire, & ad tempeſtates ſonoras uiam affectare, hæc oſtendunt.*

CALOR. AEſtate, Vere, & Autumno, calor ſupra aliorum dierum ſtatum, homines & iumenta ſolito acrius infeſtans, pluuiarum lapſum ſuſpectum eſſe admonet. 95

*Radij ſolaris vires.* *Radius Solaris, lucis & caloris uehiculum, in uaporoſo aere & craſſato, qualis per pluuiarum præludia ſolet eſſe, opportuno tẽpore & loco fermentatus, uires quaſi ſuffuſa ad incendium frigida congeminat, ac rarefacta corpora intus & in cute moleſtè exercet. Cauſas alias de Aphoriſ. uigeſimoquinto exiges.*

ARANEARVM *penſa*, Et FVLIGO. Aranearũ veluti penſa, aut his ſimile quidpiam, per Auſtralem aerem volitare, exſpatiaríque ſi animaduertes: Præterea fuliginem, ſine manifeſto impellentis ſenſu, decidere: & tenuia lanæ vellera per cælum ferri: adfuturã tẽpeſtatem, aut hyemales dies pluuios hinc prænuntiare nihil dubitabis. 96

*Vaporum viſcidorum natura.* *Si uapores qui per aerem ad pluuiarum conſtitutionem ſurſum tolluntur, lentorem uel mediocrem habebunt, hunc de ueſtigio non procul à terra, facilè manifeſtabunt. Nam corpora ſequi parata, dato deſuper primario motus momento, unà ſecum expeditiſſimè quaſi inuiſcata raptabunt. Cadibũda, & ruinoſa, de quorum albo, aut potius nigro eſt fuligo, humidulo aere imbuta, uaporoſóque ſpiritu exagitata, leniter*

*peſſum*

*peſſum eunt. Quanquam occulta Auſtrorũ flamina ſuam hîc prærogatiuam agnoſcere non ſum neſcius.*

97 Campanarum ſoni etiam eminus acutiſſimè præter ſolitum excepti (modò ventus ab Auſtro diuerſus in cauſa non fuerit) pluuiæ ſigna confirmabunt. CAMPANARVM *ſoni.*

*Vaporoſus aer, & craſſiuſculus, ſonum ſemel impreſſum diutiſſimè retinet, eúmq; multiplicatum, & à denſiore obiecto (nimirũ nube ſuperſtrata) reflexum, uiribus collectis uegetiorem reddit. Perinde atque in fornicibus, ſubterraneiſque locis & uallibus, necnon profundarum aquarum ut puteorũ, fontium, & ſimilium marginibus reparabili aſſonãte Echo factum uidemus: ubi præter reflexionem, aeris pigri & uaporoſi quãplurimũ ineſſe, nemo negabit. Tametſi inficiari non poſſum, nec ſi poſſim debeo, Auſtros pluuioſæ apud nos conſtitutionis ferè ſemper aurigas, ſuum in his etiam agnoſcere calculum.* *Soni multiplicatio, unde.*

98 Pelliceæ Zonæ, corrigiæ item, & ſimiles ligaturæ ſolito cõtractiores redditæ: adhæc muſicorum inſtrumentorũ ſubtenſæ fidiculæ ruptim diſſilientes, necnon pyxidũ opercula, q̃ conſueuerunt ſtrictiora reddita: ſummáq; manuum ac faciei cuticula attactu ſupra modũ arida apparens: idẽ quod ſuperiora teſtantur. LIGATVRAE *pelliceæ, opercula, & alia.*

*Vapor, & humiditas, quia parata corpora uel fidẽ faciente uiſu replent, imbuunt & infarciunt: ideo ab una dimenſione in aliam, ut longitudine in latitudinem, raritate in denſitatem, tenuitate in craſſitiem facilè cõmutant. Quod doctè, ut alibi monuimus hunc* *Aer vaporoſus corpora imbuit, & mutat.*

*in modum expreſſit Maro, Iuppiter humidus, Auſtris denſat erant quæ rara modò, & quæ denſa relaxat. Inſuper, quia cum abeuntibus ſurſum uaporibus, nonnihil de corporibus ui cæli unà etiam inſenſibiliter deraditur, mirum uideri non debet, ſi quæ in aere uer ſantur membra, & illi nudata patent, cuiuſmodi ſunt (præter reliqua) manus & facies, exucta per æſtum quæ cuti propinquat ſuperficiaria humiditate, ſolito ſicciora remanent.*

FLORETA. Floreta inſolito modo ad longiorẽ diſtantiam ſuos odores ſereno cælo ſuauiter iaculantia, nihil diuerſum à iam dictis, iuxta noſtras & multorum obſeruationes, ponunt. 99

*Significant inferiorem aerem à uaporibus, qui ſurſum ad pluuiarum ſobolem migrauerunt, mundũ eſſe & immunem: quo repurgato, odor qui in uapore eſt, ut uapor in tenuato humore, per olfactus organa iam tum craſſo aere minimè imbuta, & obſtructa, ſeſe facillimè inſinuat: ac uiam liberiorẽ, ut ſua (etiã procul) diffundat ſpiracula, nanciſcitur.*

*Odoris ratio, & natura.*

VVLNERA, & OSSA. Oſſa aliquando luxata, & fracta, vel alio quouis modo læſa: adhæc antiqua vulnera recurrẽtibus doloribus miſeros mortales ſolito atrocius fatigantia, pluuiæ indicium eſſe, cũ libris docet experientia, ſcriptis omnibus potior, cui te malle credere arbitror, quàm mala tanta pati. 100

*Cauſa erui poteſt de motis & agitatis per uaporoſum Auſtralémque aerem, partium imbecillarum, imò uerò corporis totius humoribus: unde occultæ, & nouæ*

*uæ oboriuntur fluxiones. Vel, quòd naturæ tacito quodam conſenſu, ſimile trahitur à ſimili. Præterea, quòd perflante Noto, pluuiarum prodromo, corpora grauiora & humidiora efficiuntur: quæ in infirmiores particulas (quales ſunt affectæ) & excipiendis fluxionibus opportunas (ut iuncturæ) plurimùm ſeſe exonerãt, grauantiáque pondera deponunt: unde labor, & dolor. Quod hîc miraculi nihil aut parum habere debet, quando nobis quoque mos eſt, quæ nos cunque premunt, alieno imponere tergo.* *Quomodo per pluuias dolores inualeſcãt.*

101 Cephalalgiæ, & periodico inueteratóve capitis dolori obnoxij: Pręterea arthritide correpti, ſolito infenſius ſe vexari, aut labores periodon anteuertere ſi ſenſerint: aerem in pluuias ſeſe apparare, hinc certò colligunt. MORBI, & DOLORES.

*Auſtri ex Hippocrate & Galeno, corpora replent, & caput grauant: partéſque exangues, & proinde frigidas, necnon excarnes (in quibus arthriticus dolor ſeſe potiſſimùm prodit) omnium maximè exercent, petũt, & cõmouent. Cauſæ aliæ ſuperiori aſſentiũtur.* *Meridionalis venti natura.*

102 Ingruente procella, aut pluuioſa tempeſtate, volucrũ agmina ex inſulis (vbi degere maximè conſueuerant) in media arua turmatim conuolaſſe obſeruatum eſt. VOLVCRES.

*Id fortaſſe, propter Auſtros aquas & loca illis uicina percellentes: Vnde quæ longè hinc abſunt loca, tutiora exiſtimant.*

103 Si aues quæ ſtagnantes fluentéſve aquas rimantur, diu & multùm non procul à ripis nihil minùs q̃ de ichthyophagia cogitantes,

verg. 1. Georg.

Certatim largos humeris infundere rores,
Et caput obiectare fretis,& currere in vndas,
Ac ſtudio in caſſum cernes geſtire lauandi,
Certus aquam metues.

*Aquæ vires in calida natura.*

*Quia in aqua uiuunt,ideo gaudio & applauſu illam aduentare teſtantur. Tametſi ad calida & mordacia ſpiracula,in ὑδροβίοις auibus per eam uaporoſæ auræ conſtitutionem intus & in cute mota aphoriſmi αἰτιολογίᾳ reuocari poteſt. Vnde illa frigidæ affuſione, & contactu,amoliri uel ſaltem obtundere modis omnibus & uijs ſatagunt.*

AVES.

Aues in arboribus nidulantes,ſi propria cu- 104
bilia , & ſolitas ſedes gregatim intempeſtiuéque petiuerint , pluuiam breui adfuturam vel tempeſtatem nuntiare adnotauit ruſticorum philoſophia.

*Aeriam aquam præſagitione cognitam fugiunt, quia in ea & per eam minùs uiuunt. cætera patent.*

Aues in aquis parum aut nihil degere aſſue 105
tas , ſi ad riuulorum & fluminum fontiúmve crepidines plumas videbis vellicare,inſtantiũ pluuiarum memor eris.

*Sentiunt ſua corpora à uaporoſo aere premi & fatigari.Ideóque pondus à ſe excutere,& maculam eã aquis eluere,roſtróque deturbare ſtudent.Cauſæ aliæ de ſuperioribus uenandæ tibi erunt.*

GALLVS GALLINACEVS.

Gallinaceus gallus , paulò poſt Solis occa- 106
ſum,vel primis noctis horis,ſtatim à verſpertino crepuſculo inſolens in rauciſonum cucur

ritum

ritum(non ſine alarum motu)indefeſſus pro- rumpens,ſuperioribus per omnia concinit.

*Auſter,unà cum uaporoſo aere,uocalia inſtrumenta ut ſenſim replet,ita multa pituita infarcit. Cuius motum ſentientes criſtati Galli, per eum cæli & corporis ſtatum facilè rauceſcunt. Cæterùm, ut grauante hac ſarcinula,uocis & motus præſidio ſeſe exoneret, ad cantum modo inſolito & tempore derepente ſtimulantur. Addes,ſi uidebitur,laryngis per humidum aeris ſtatum, dilatationem: quæ ut uocem grauiorem reddere ſolet,ita raucam,& clangoſam.* Auſter vocẽ immutat.

107 Gallinacei pulli (vt reliquæ ferè volucres) roſtro pedunculos plumatim venantes, ſéque præter modum ſaburrantes,pluuię venientis non dubia exhibent ſpectacula.

*Circumfluus aer uaporoſus, corpora (ut diximus) grauatim onerat:& acria mordaciáque effluuia aucto per antiperiſtaſim intus calore,à centro corporis ad circunferentiam prolicit: à quibus demorſæ partes ad cutim pertinentes pruritum excitant,quem roſtro, & motu, huiuſcemodi alites compeſcere abigeréque conantur.* Vaporoſus aer, in corpora quid agat.

108 Gallinæ , cum ſuis gallis initiante pluuia ſi in locũ ſtillicidijs minimè obnoxium de medijs aruis conuenerint: aut proprium tectulũ (tempus præcurrentes) confeſtim adiuerint: præterea ad paſtum manè tardiſſimè ægerriméq; prodierint:ingentes imbres aduentare, aut præſentium durationem, prænũtiabunt. GALLINAE.

*Hoc faciunt,ut præuiſam cæli iniuriam tempeſtiuè*

*deuitent: nam aquas difficulter ferunt.*

PAVONES

Si picturatos Pauones noctu vocẽ efferatã 109
& clangoſam ſubinde ingeminare audies, plu
uias haud longè abeſſe cogitabis.

*Cauſa de ſuperioribus aliquot petenda, niſi quòd uocis obſtreperæ congeminatio, uegetum & auctum intus cum calore uocalem ſpiritum, per arteriam uaporoſo aere imbutam erumpere teſtatur.*

ANATES.

Latipedes Anates ſereno cęlo cumulatim cõ 110
gredi, & alterã volatu ſupra alterã ferri ſi videbis: adhæc inſolita perturbatione, clamoréq; (niſi fortaſſe propter ſeparationẽ ab alijs) moueri: pluuiã, vel tẽpeſtatẽ expectabis.

*Futuram aeris intemperiem ſagaci natura præſentientes, modum in motu, clamore, & uolatu nullum adhibent: his ueluti præſentibus auxilijs, grauitatem à uaporoſo aere cõciliatam, detrudere contẽdentes.*

ANSERES

Anſeres valido cum clangore ad paſtum fe- 111
ſtinantes, ſéque non ſine alarum motu, & frequenti ad aquas attritu, fluuio aut alibi placidè merſantes: præterea garritu inſolito perſtrepentes: pluuias (modò recentis aquæ facta illis antea fuerit liberior facultas) præſagire, vt adnotarunt antiqui, ita nos ſæpenumero ſumus experti.

*Anſeres animalia bilioſa.*

*Ad bilis refrigerium, & humectationem (quam de omnibus animalibus æruginoſam cacant) aquis uenientibus uociferatione & geſtu applaudere uidẽtur. Cauſas alias (quòd id genus animalis ἀμφίβιον ſit) de an-*

*de antea dictis repoſcere appoſitiſſimè licebit.*

112 Clangẽtes aeriæ Grues, & prẹuia nubila pinnis alarum ſcribentes, venientium pluuiarum fidem cum alijs & faciunt, & vehementer augent. GRVES.

*Tempeſtatum exceſſus non ferunt grues, ideóque horizontem eum, quem de uaporoſo aere & ſurgentibus nubibus deſtinatũ pluuijs agnoſcunt, mutuo clangore ſub Pythagoræ litera ſeſe colligentes, celeriter præteruolant.* *Grues imbecillum animal ſi corpus ſpectes.*

113 Grues ab imis vallibus fugientes, & volatum humilem obliquè molientes: eúmque in locum vnde euolarunt, reuolãtes: pluuioſẹ tempeſtatis, & hybernæ conſtitutionis præcones eſſe perhibentur.

*Corpus habent ad patiẽdum peropportunum: propterea ualles idonea aquarum conceptacula, emiſſariáque, libenter non conquirunt. Porrò demiſſum uolatũ exercent, quia tũc Auſtri permadidi nubila ſumma tenent. Reuolant unde euolarunt, pluuia & tempeſtate (ceu Herculea claua) ne ulteriùs progrediantur, arcente.* *Gruum natura.*

114 Dum circa paludes vel aquas alias arguta frequens volitabit Hirundo, ventre vndas incaſſum radens & euerberans, pluuiam, aut tempeſtatem proximam eſſe indicabit. HIRVNDO.

*Fortaſſe quòd nõnihil reſiccatum ſit cũ inferiori aere, ob latos ſurſum uapores, illius corpuſculum: unde*

*humectari poſtulat. Cauſæ aliæ, de ſequenti & antecedentibus eruendæ ueniunt.*

Si hac & illac volitans Hirundo, parietibus ſubinde hærebit: vel humilis vſqueadeò feretur, vt pedibus humũ verrere, ſéq; puluerare videatur: idem quod antea cõmonſtrabit. 115

*Fieri poteſt, quòd aduentantem pluuiam, uel tempeſtatem præſentiens, dum ſerenum adhuc eſt, & tempeſtas percõmoda, muſcas, aliáq; animalcula ſibi & pullis humi & in parietibus uenatur: uel quòd cõmotã ſurſum auram perhorreſcens (habet enim corpus imbecillum) deorſum pauitat: uel, quòd per eam cõſtitutionem calente (ut antea dictum eſt) inferiore aere, perfrigerium à terra & locis umbratilibus captat: nã retorrida, bilioſáq; eſſe cenſetur auicula. quod ſatis ſupérque arguit Tobiæ (ſi bene memini) cæcitas, de hirundinis ſtercore in oculum excreto, conquiſita.*

*Hirundo, bilioſa auicula.*

CORVI, & GRACVLI.

Coruorum, & Graculorũ greges turmatim accipitrum inſtar clamantes, ſurgentis pluuiæ ſigna habent. 116

*Vocis mutatio (ut diximus) ab auſtrina cõſtitutione eſſe poteſt: quæ aerẽ, & per eum cũ arteria pulmones & reliqua modulandæ uocis organa, humiditate ſuperflua imbuit, ac aliũ ab aſſueto ſonum efflare cogit. Gregatim conueniunt, ad id inuitãte tacita quadam naturarum ſympathia καὶ ὁμόνοια.*

Corui de arbore penduli alas ſæpenumero motitantes, humidæ tempeſtatis nuntij antiquis ſunt exiſtimati. 117

Corpo-

*Corporis grauitatē à uaporoſo aere accerſitam, motu (qui Peripateticis calidus eſt) & attritu, uiam præmonſtrante natura, deponere aggrediuntur.*

*Motus calidus, quãuis hoc neget Valla.*

118 À ſolito paſtu diſcedens agmine magno
Coruorum denſis crepitat ſi exercitus alis:
Atque modum fugiens rara dulcedine lætus
Inter ſe folijs ſtrepitat, minitabitur vndas.

*Cauſam (ſi uidebitur) referes ad ſiccam, & exuctã uolucris huius naturam: quæ inſtante humido aere, tanquam iucundiſſimo nuntio, & præſente aduerſum ſiccitatem remedio, gaudia mera crepat. Reliqua de ſuperioribus, uel me conticente, ſuas agnoſcūt rationes.*

*Coruus ſicca volucris, & retorrida.*

119 Corui raucum crocitantes & vocem identidem reſorbentes, vel (vt habet Plinius) cum ſingultu quodam diu multúmque latrantes, pluuiam, aut pro ea tempeſtatem hariolãtur.

*Diligens lector (ne πολυλογία, καὶ παυρολογία mihi ridiculè obijciatur) cauſas de ſupra ſcriptis expiſcari prudenter poterit.*

120 Graculi in domorum tectis & coronidibus ſolitarij cõſidentes, & alas modo inſueto quatientes, vellicatímque explumantes, Pręterea à paſtu ſerò redeuntes, adfuturas pluuias ob oculos ponunt.

GRACVLI.

*Pars cum ſuperioribus aliquot, ne repetitione (ut citharœdus qui chorda ſemper oberrat eadem) ſim moleſtus, cauſam habet communem. Serò à paſtu redeūt, quia in craſtinū & amplius præcognitis naturali præſagitione cæli iniurijs, exſaturari, expleríq; ſatagunt.*

*Voracitas Graculis peculiaris.*

Cornix

CORNIX. Cornix ſi in ſicca ſecum exſpatiatur arena: 121
Háncq; gradu lento metitur, vel caput vndis
Obiectat querulum:
Adhæc, ſi frequens ad vndas cornicatur: humidam tempeſtatem inſtare præſagit.

*Solitaria regali paſſu fortaſſe incedit ob aſcititiã ab externo aere, eóque uaporoſo, corporis grauitatẽ. Vndas captat, quibus calida effluuia per eum auræ ſtatum ad cutim perreptantia diluat, & obtundat.*

Cornices ſupra petram vndequaque irriguã 122
garrientes, & ſe aquis ſubinde merſantes, non dubia venientis pluuiæ teſtimonia ſuſtinent.

*Cauſa de ſuperiori, & præcedẽtibus, abundè patet.*

Cornix voce improba ſub noctem plurimũ 123
conqueri audita, morantem pluuiam garrula ſua cornicatione increpare cenſetur.

*De ſe, & proximis aliquot ſatis ſupérq; innoteſcit.*

HALCYONE. Halcyone, cum ſobole tepidum ad Solẽ pen- 124
nas in littore expandens, ſuum hîc pro pluuia cum alijs calculum adijcit.

*Quod quiſque amat, aduentare ſi uel audit uel percipit, ægrè (donec apud aliũ depoſuerit, uel foras eliminauerit) conquieſcere ſolet. Quanquã referre etiam licet ad ea quæ de corporũ cum aere ſympathia, ſparſim ſuprà adnotauimus. Sunt Halcyonæ auiculæ paſſere paulò maiores, quæ in mari dies ſeptem ante brumam, & totidem pòſt, nidulari cõſueuerunt: à quibus Halcyonei dies nomen habent. Non deſunt tamen, qui auiculas eas & eſſe & dici contendant, quas no-*

*Quid Halcyone, & eius natura.*

*ſtra*

*ſtra(hoc eſt gallica)lingua Martinetas, & Viridulas, à colore uiridi proſpectū admodū oblectāte nūcupam9.*

125 Monedulæ ſub veſperã perturbatè clamitantes: & Paſſer manè ſolitarius pipillans: Adhæc auiculæ cuiuſcunque generis mare(quaſi viſo monſtro)fugientes: pluuię vel tempeſtatis veſtigia in aere impreſſa ſpectantium oculis admouent. MONEDVLAE, & PASSER.

*Aridulum genus hoc auium, humectationē ab aere implorat. Addi poteſt, ꝙ paſtū propter uenietes aquas ſibi præripi queritur. Fugiunt mare auiculæ, ob uaporum motū indefatigatū, & continuū, qui illinc urgente cælo ad pluuiarū nouū partum ſurſum exhauriūtur. Vt interim auſtrinas tēpeſtates & internas pelagi rixas omittã: à quibus auium corpuſcula & pati & affici, tam eſt certum, quàm quod maximè.* *Cur mare nonnunquã fugiãt aues*

126 Lucifuga Noctua veſpertino crepuſculo de ſuis luſtris citius quàm pro conſuetudine plurimùm cucubando egrediens, pluuiarum præſaga haberi ſolet. NOCTVA.

*Maturè exit, ut citò & tutò ob pluuiam (quam ut præſagit, ita ferre non poteſt)ſeſe recipiat.*

127 Ardea notas paludes admodū querula effugiens, & medijs in aruis triſtis reſidens, aut ſupra altam nubem volitans, futuram pluuiam, & tempeſtates, præſentire traditur. ARDEA

*Propter iniurias quas ex præuiſa cū uētis pluuia ſibi timet, loca hiſce minimū obnoxia captat & ambit. Nã imbecillū corpus, & noxæ impatiētiſſimū gerit. Addēdum,* *Ardea corporis eſt aduerſum noxas imbecilli.*

*dum,*ꝙ *ob cutis raritatem,à motis uaporum effluuijs, & fatigante* Auſtro *grauatur:unde illa querimonia, & ad comparandum calorem uolatus.*

PICVS. Martia Picus auis,quæ & pluuiæ auis anti- 128
quis dicta eſt,validius quàm pro more ſtride-
re ſi obſeruabitur,certò imbres indicabit.

*Picrochola auis aquam ſuæ naturæ amicam,& ſane quam opportunam, uoce nuntiat, uenientémque applauſu ſalutat.*

MERGI & *Fulicæ.*
Cũ medio celeres reuolãt ex ęquore Mergi: 129
Clamorémq; ferunt ad littora: cúmq; marinæ
In ſicco ludunt Fulicæ: tibi tempora ſignent
Infeſta & pluuijs,& tempeſtate ſonora.

*Cur ad aquas excubẽt mergi.* *Vapores ab aquis ad imbriferam nubem erigendam ſurſum attolli ſagaciter ſubodorãtur:unde tempeſtiuè aliò migrare feſtinant.Vel quòd piſces plerique (quos pro præda habent) per eum cæli ſtatum, è medijs aquis ad littora enatare ſoleant,quapropter hîc circumſpectè excubias agunt.*

REGVLVS, & RVBETA. Regulus auicula,motu inſolito,& cantu(ſed 130
tamen ſuaui) geſtiens: Adhæc Rubeta anti-
quas macerias & excauatas arbores , necnon
inhóſpitas domos ſubiens , idem per omnia
pollicetur.

*Regulus auis,quæ & Regaliolus. Rubeta ranæ ſpecies.* *Ille,quia aridulus uaporoſum aerẽ plauſibiliter excipit,& aduentantem humiditatem,qua refocilletur, cantu implorat . Hæc futuras aeris iniurias præſentiens,fuga,& loco ſalutem in tempore ſibi parat.*

Colũbi ad ſuũ περιστερεῶνα tardè redeũtes, 131
& Gal-

& Gallinæ à paſtu ſolitum remigrandi tempus etiam præuertentes, ſéque ad dumeta, aut tecta, nullo abigente, confeſtim recipientes, ſigna propinquæ pluuiæ ſecum perferunt. COLVMBI, & GALLINAE.

*Quod ad Gallinas attinet, cauſæ de Aphoriſ. octauo ſupra centeſimum (cum quo idem hic ferè ſonat) excipiendæ ſunt. Columbi percepto in pluuias aeris motu, in craſtinum prouidè expleri ſatagunt.*

132 Capræ tam arborum, quàm fruticum & ſuffruticũ ramuſculos, ſtolonéſve ſolito auidius carptim derodentes: ac nullo valente verbo, aut verbere, ad vineta vel aliò (licet non impunè) proficiſcẽtes, pluuiarum, aut tempeſtatis præſagia, intelligentibus certò ob oculos ponunt. CAPRAE.

*Futuram aeris cõmotionem naturali inſtinctu prænoſcẽtes, ne fame periclitentur, uentrem ut in dies aliquot ſufficere poſſit, ſaburrare quo iure quáque iniuria ſedulò ſtudent.* *Capræ edaciſſima animalia.*

133 Oues veniẽte Heſpero dum ad ſuas caulas aguntur, per viam herbas magna cum auiditate depaſcere, & ab his clamore, vel ictu, ægrè diuelli ſi videbis: idem quod antea, augurari exiſtimabis. OVES.

*Cauſa à ſuperiori, ne tranſuerſum quidem digitum recedit.*

134 Fœminæ Oues, fœminæ item Sues, & Capræ, maribus omnibus admiſſis catulientes, & venerem nequidquam promiſcuè confunden- OVES, SVES, & CAPRAE.

tes, hyemalem tempeſtatem pro foribus aſtare monent.

*Genus hoc animalium, per uaporoſum frigidúmq; & humidum aeris ſtatum, natiuum calorem intus uegetiorem habet: & proinde genitales ſpiritus ad uenerem procliuiores ac opportunos magis: unde iſthæc ſurgunt ueneris præludia uanæ.*

CATVS. Catus ſeu Felis, Græcè ἄιλουρος nuncupatus, pedum priorum illinctu, caput cum interſcapulio pectinantis in modum & abluentis ſi diu palpauerit, pluuias ingruere nõ ineptè commonſtrabit. 135

*Felis, Lunaticũ animal.* *Quia animal id cerebro eſt præhumido (quod indicant oculorum illius cum Luna humiditatum rectrice menſtruæ metamorphoſes) idcirco uaporibus per Auſtralem & pluuiam auræ conſtitutionem oneratum, perfrigeratúmque, frictionis & motus adminiculo partim excalfacere, partim conquiſitam & adauctam pituitam tenuare, & ad fluxum inſenſilémque tranſpirationem apparare, atque (ut paucis multa dicã) grauante ea ſarcina pedibus (quod aiunt) & manibus ſe exonerare ſatagit. quod tametſi multis ridiculum uidebitur, & ex uetularum placitis depromptũ, uerissimum tamen eſſe experiũdo condiſces.*

ARIETES *Agni* & OVES Arietes, Oues, & Agni, inuicem arietãtes, & mutuo conflictu cornibus excurrẽtes, adhæc calces ſubſultim incutientes, hybernam tempeſtatem ſignificant. 136

*Animalia ſunt (ut id repetam) admodum pituitoſa,*

excre-

*excrementoſáque, cuius rei pulmonarij illorũ catarrhi quos hæreditarios habent, ſatis ſupráque fidem faciũt. Auctum itaque pituitoſum eum ſuccum, quia per uaporoſum aeris ſtatum caput cum partibus thoracis (uia oculis non ita peruia) grauat, ſaltu, corniculatione, attritu mutuo, & caloriſicis alijs cauſis excoquere, tenuare, & ad fluendum habilem reddere aggrediuntur. Quibus, ſi uidebitur, addes, quòd cornua cum ungulis exanguia, & per aerem in pluuias ſeſe apparantem frigidiora reddita, de conſenſu, uicinia, & continuarum partium attactu, corpus uniuerſum perfrigerare poſſunt. Nam aliquid mali propter uicinum malum. Quod dum gregaria hæc animalia præſentiunt, quibus à natura datum eſt modis, opportunè ſibi proſpicere, & ſe ſuámq; uitam tueri meditantur.* *Oues, & agni, pituitoſa animalia.*

137 Canum ventres borborygmos & murmurilla edere ſi percipies, vel humum pedibus non oſcitanter ſcabere, ſibíque ſcrobem effodere, eadẽ cum iam dictis inſtare tibi perſuadebis. CANES.

*Ab Auſtris fortaſſe uel illorũ uicarijs id fieri exiſtimabis: qui paratos corporũ humores, uia inſenſibili in flatus (quatenus calidi nõnihil ſunt) tenuãt & reſoluũt: quatenus humidi, natiuũ calorẽ (qui imbecillus flatuũ cauſa eſſe ſolet) imbecilliorẽ reddũt. Scrobes fodiũt, ꝙ per haſce aeris conſtitutiones frigeãt extrema exanguia, unde excalfacere ſatagũt. Vel, ꝙ aduerſ⁹ futuras cæli iniurias (forſitã excluſi) perfugiũ ſibi cõparant.* *Auſtri natura.*

138 Si Aſelli, aut Muli, diu multúmq; & caput, & auriculas abſque præſente cauſa motitabunt: pluuiam adfuturam deſignabunt. ASELLI, & MVLI.

Hippocrates in Aphoriſ.

*Auditum hebetant Auſtri (inquit Hippocrates) & caput grauant. Sunt Aſellus, & Mulus, capite enormi: propterea pituitæ & gignendæ & excipiēdæ peropportuno. Quæ quia componente ſeſe in pluuias aere, huiuſcemodi animalia exagitare ſolet: idcirco calore de motu conciliato, quidquid id eſt tenuare diſſiparéque, imò uerò in ambientem aerem deponere in primis tentant.*

BOVES, & VITVLAE.

Si Boues cum inſolito mugitu ad ſtabula triſtes ſub veſperam proficiſcentur, & Vitulæ præter modū & vſum ſalientes, abſente (præſertim ad viſum) ſtimulo, vitulabuntur: tempeſtatem intra paucos dies ſine dubio deorſum graſſaturam, veluti de pictura quadam repræſentabunt. 139

Calor internus ſpiritus mouet.

*Illi ſolita pabula propter inſtantes tempeſtates, eaſdémque ſagaciter præuiſas, ſibi negata lugent. Hæ aucto (ut antea de Ouibus dictum eſt) interno calore, ſanguinem, & cum eo motores, impetúmque facientes ſpiritus exacuente, laſciuiunt.*

Boues naribus patulis captantes auras, & cælum quaſi emulgendo olfacientes, humidā aeris conſtitutionem plurimùm præ ſe ferre ſolent. 140

Auſtri capita replēt.

*Capita ab Auſtris (apud nos ferè ſemper pluuijs) uapore lento & pituita imbuta, in medium aeris gremium exonerare ſatagūt. Vel quòd tenuioris auræ ſpiraculo per nares & os in cerebrum (qua data porta) admiſſo, craſſam muccoſámque materiam incidere, extenuare,*

*tenuare, & fluxilem reddere contendunt. Quod ſæpius inculcatum non diſplicebit.*

141 Boues poſteriorum pedum vngulas & pilos parte aduerſa plurimùm circumlingentes: adhæc in ſtabulis ſuper dextro latere decumbentes, ſi veræ ſunt priſcorum recentiorúmque obſeruationes, bubulcos vt à pluuioſa tẽpeſtate ſibi caueant, naturali præſagio hactenus docuerunt.

*Per pluuias ingruentes certum eſt corpora (ut millies diximus) humidiora reddi, & partes quæ cuti propinquant (excarnes maximè) in primis grauari. Quare nihil mirum ſi linctu, uel alio quouis modo Boues illas iuuare aggrediuntur. Præterea, ſiniſtrũ latus propter cor perpetuò ferens, quia inualeſcente per eum cœli ſtatum interno æſtu, nouos gradus caliditatis aſſumit, idcirco illud ipſum (quemadmodum canes per Syrij καύματα dextrum in quo iacet hepar ſanguinis officina) humi, ad captandum refrigerium percommodè inclinant.* *Cor omnium quæ in corpore ſũt calidiſſimũ.*

142 Buculæ ac ſi lymphatæ eſſent, vel OEſtro percitæ, cum equis aut armenti alterius animalibus ἄνω, καὶ κάτω (quod Græci dicunt) curſitantes, ſurgentem pluuiam quaſi digito indicant. BVCVLAE.

*Ambiens aer craſſus, & uaporoſus, quia cutis ſpiracula occludit infarcítque, idcirco ſpiritus qui de ſanguine manant, inualeſcente interno calore, ad faciendum impetum aptiores reddit.*

SVES. Sues ſolutos farris aut fœni manipulos, ore ſúſque déque miſcentes, & perinde ac ſi rabie exagitarentur, curſim diſpergentes, ſubanteſque, à ſuperioribus diuerſum teſtãtur nihil. 143

*Amica luto Sus, ob aquas uenientes lætatur. Reliqua cum ſuperiori, & præcedentibus aliquot, communia habet Aphoriſmus.*

LVPVS Lupus ſolus ab alijs altum horrendúmque vlulans, & ad humiles paſtorum caſas, agricolarúmque opera parum cautus accedens, ante tertiam auroram venturã cum pluuijs tempeſtatem innuit. 144

*Voracitate Lupus infamis.* *Aeris in pluuias & uentos ſubodorata (occulto præſagio) commotione, ſibi de cibo in poſterum malè metuit: quòd tum maximè ſtabulari ſoleant greges. Præterea operimentum aduerſus futuram cæli iram, anxius uenatur.*

MVRES, & SORICES. Mures, cum Soricibus præter modum acutè ſubſibilantes, ſaltitandóque de ſuis latibulis gregatim proſilientes, & ex cõculcatis ſtraminibus lectulos ſibi ſternentes, ſine pluuiarum ſignificatione antiquis habiti non ſunt. 145

*Cute rara & tenui ſunt mures.* *Cutim raram habent & tenuẽ: unde per aerem ſenſim graſſantem frigidulum & uaporoſum ſpiritum citò faciléque ſentiunt: cui & futuris pluuijs ut mature proſpiciant, nidulos ſibi extruunt, & fomenta parant, aliáque calorifica aggrediuntur.*

MVSCAE, & PVLICES. Si ſummam corporis cuticulam, Muſcæ & Pulices ſolito infenſius ſua proboſcide vellicabunt: 146

cabunt: hominúmque ac iumentorum faciem & oculos ſæpius abactæ cæſim (quod dicunt) & punctim recurrentes appetent: breui venturas pluuias nuntiabunt.

*Exhauſtas in circumfluum aerem unà cum uapore, humidi ſubſtantifici (quod paucum habent) portiunculas, qua patet uia reſarcire, & reſiccata corpuſcula humectare moliuntur.*

147 Veſpæ multis in locis ante veſpertinũ Vergiliarum exortum ſubterraneas ſpecus glomeratim ingrediẽtes, pluuioſam hyemem & frigidam præſagiunt, vt etiam Muſcæ. VESPAE.

*Loca ſubterranea minimum perflata (in quibus per hyemem, pluuias & frigora calor plurimus latitare ſolet) ut caleant cumulatim petunt. Nam frigidula ſunt animalcula & exanguia, proindéque iniuriarũ aeris impatientiſſima.* *Subterranea loca quãdo caleant.*

148 Apes prope ſua aluearia (quòd lõgiùs progredi formident) floſculos ad mellificium ſedulò excerpentes, tempeſtuoſam ac pluuiam auræ conſtitutionem augurantur. APES.

*Hoc faciunt, ut ſuperueniente aeris præuiſa perturbatione, citò, tutò, & iucundè poſſint euadere. Nam ſunt imbecillæ beſtiolæ, quæ ſubitas & uiolentas temporum mutationes difficulter ſuſtinent.* *Apes animalia imbecilla.*

149 Scolopendras multipedes vermiculos, rerum agri ſcriptoribus Cõuoluulos, Gazę Centipedes nuncupatos, confertim per muros ſer- SCOLOPENDRAE.

pere reptaréque ſi videbis: pluuiam, aut hyemalem tempeſtatem formidabis.

*Exangue genus hoc animantis à uaporoſo aere grauatum, & utcunque perfrigeratum, motu calorem ſibi accerſere, & contra exagitantem auram, ſeſe firmare, uijs omnibus ſtudet.*

VERMES.

Vermes, quos Lumbricos & terræ inteſtina dicunt, humum quaſi terebello pertundere, & foras affatim erumpere quandocunque deprehenderunt antiqui, idem cum ſuperioribus illos ponere exiſtimauerunt. 150

*Humida aeris conſtitutio Lumbricis amica.*

*Terra ab Auſtris & aere uaporoſo, imperceptibili motu affecta, imbuta, & madefacta, perfacilẽ Lumbricis teretibus uiam facit: ac uliginoſum alimentum larga manu illis ſurſum exhibet: quod ut captent, è terræ penetralibus paſſim emergunt, & ſcaturiunt.*

RANAE, & BVFONES.

Dum confuſè, & ſi modum ſpectas, immodicè (niſi fortaſſe quo tempore in furias Venerémque ruunt: nam amor omnibus idem) coaxabunt Ranæ: aut è ſuis luſtris ſolito maiores ac numeroſiores proſiliẽt Bufones: pluuias propinquas eſſe ſignificabunt. 151

*Plauſibiliter, & obuijs manibus, id quiſque excipit, quod ſuæ naturæ amicum eſſe & familiare intelligit. Vaporoſus aer & pluuius, corpora implet: & ſi parata fuerint, in tumorem facilè attollit.*

*Conchæ Echini, & Cancri.*

Conchæ & marini Echini, ſaxis ſeſe affigentes: adhæc Cancri ore forficatíſque pedibus 152

lapillos

lapillos prehendentes, & ſe arena ſaburrantes, tempeſtatem minantur.

*Timent aeris uiolentas commotiones, propterea aduerſus illas opportunè ſeſe armant & præſidia quærunt. Vel, quòd tempeſtatis præludia ab imo ad ſumma per medium ſubodorantur: unde ſibi conſultò proſpiciunt.* Cancrorum aquatilium natura.

153 Piſces per ſerenitatem ſupra aquas ſubſultim micantes, & identidem ac ſi volarent iaculati, pluuias inſtare ominantur. PISCES

*Sentiunt uaporum qui ſurſum, ſtimulante cælo, ad pluuiarum generationem ex aquis hauriuntur, motum & tranſitum: à quibus grauati, & penè dixerim præfocati, mitiorem auram foris captare ſubinde ſatagunt. Quanquam hoc æſtate falſum nonnihil eſſe poteſt: per quam rectius diutiúſque agente Solis radio, factum uidemus (modò nihil aliud præpedierit) ut aquæ cum corporibus inibi contentis facilè incaleſcant. Quæ res efficit, ut piſces mitiorem aerem forinſecus ſuis branchijs attrahere moliantur. Addi poteſt quòd pluuioſam tempeſtatem (cuius amantiſſimi ſunt) tacito quodam naturæ motu in uia eſſe præſentientes, iucundè uel de ſaltu ſe excipere teſtantur.* Piſces aquarum & pluuiarū amantiſſimi.

154 Emergente pluuioſa tempeſtate, octipedes Cancri ex aqua egredi, & ſe itineri motu regradario accingere, plerunque ſunt viſi. CANCRI.

*Aquas à motis uaporibus iamiam ſubagitari cœptas, pluuia, uẽto, & procella ingruente, impetuoſius permoueri debere, occulto ſpiraculo & ſagaci præui-*

*ſione ſubodorantur. Vnde foras (ut ſibi tempeſtiuè conſulant) proſilire aggrediuntur.*

FORMICAE, & TALPAE.

Si è ſuo cauo & myrmecijs oua certatim extulerint retulerintque Formicæ laborum patientiſſimæ: aut Talpæ oculis capti, editiora cubilia & numeroſiora (quaſi ſuum κατώγεωμ exoſi) ſibi tumulatim effoderint: pluuiã vel tempeſtatem terras breui ſalutaturam indicabunt. 155

*Formica bilioſum animalculum.*

*Talpæ Auſtri ſponſæ.*

*Formicæ, bilioſa animalcula (quod de morſu, uel attrito ueſtigio ſatis ſupérque teſtantur) uaporoſi & humidi aeris (qui pluuias ſolet præcedere) adminiculante ſpiraculo, bilis acrimoniam natura duce obtundere, lenire, & demulcere procurãt. Talpæ Auſtrinam auram (cuius ſponſæ nonnullis dicuntur) olfacientes, ut terrenum quod circumferunt corpus frigidum & ſiccũ calido aere & humido perfundant, recreent, & exhilarent, ab imo ad ſummum per cuniculatas ſuas fodinas componente ſeſe pluuia perreptant: mollémque auram aucupantes, feneſtratum pedibus ac manibus necnon roſtro ſibi architectantur tumulum.*

FOLIA, PALEAE, & alia.

Sicca folia, puluiſculus item, & paleæ, aut res quæuis aliæ turbinatim per aerem motæ: pluuijs & aeris turbationibus teſtimonia cum alijs accumulant. 156

*Vnde pili & paleæ in rebus aeris plerũque reperiantur.*

*Vapores (ut id poſtremum repetam) momentum primũ, quo ſurſum per inane ferantur, à cælo accipientes, corpora ſequi parata ſecum facilè trahunt. Vnde in grandine nunc pilos, nunc paleas, quandoque plumas,*

*mas, & ſimilia reperiri uideas. Quod prodigij loco (ut plæraque leuiora) habere ſolet ignarum uulgus, Quanquam Auſtros humidæ & pluuiæ conſtitutionis habenas (ſaltem apud nos) moderantes, in his plurimum poſſe negare non contendo.*

157 Signa alia permulta pluuiarum facilè colliges de ventorum, tempeſtatúmque ſignis: & quæ his admodum affinia ſunt, niuis, grandinis, & ſimilium. Inſuper de oppoſitis, qualia ſunt ſerenitatis ſigna: habita vbique ratione locorum, & partium anni, necnon configurationum Lunæ ad Solem & planetas reliquos: addito præterea fixarum ſtellarum, quæ inſigniores habentur, coſmico exortu & chronico occaſu. Cautiones alias dabunt noſtra ad rerum cæli & naturæ candidatos προλεγόμενα, quæ ante iudicia diligenter excuti ſuo poſtulant merito. Sed hæc ſatis: quæ minus accuratè curata qui dicet, curioſius ſi curabit, gratum ſe feciſſe exiſtimet. Supereſt vt humidas aeris conſtitutiones reliquas, quandoquidem in via ſunt, paucis ex ordine deinceps expediamus.

*Hæc uiderit lector, & diligenter obſeruet.*

EPHE-

# EPHEMERIDVM AERIARVM, ANTONII Mizaldi Monſluciani,

## Sectio ſecunda.

*Signa Niuis, Roris, Grandinis, Pruinæ, caliginis, & obſcuritatis aeris, ex iis quæ omnibus ſub ſenſum oculorum cadunt, fideliter excepta.*

*Humidæ aeris conſtitutiones.*

QVIA Nix, Grādo, Ros, Pruina, & Venti quamplurimi: adhæc Tonitrua, & ex ijs tempeſtates aliquot ad humidas aeris cōſtitutiones pertinent: de his (exigente aphoriſtica methodo) vt conſequenter ſcribamus, commodum admonet. 1

*Signa pro partis anni natura inuicem temperanda.*

Si itaque pluuiæ ſigna multa à Sole, Luna, & alijs (modo quo ſuprà) excepta, initiante Vere, & Autumno procedente, necnon per temperatā Hyemem, in locis peropportunis (frigente nonnihil aura) obſeruabis: grandinem aut niuem, vel pro his denſiſſimas nebulas & pruinoſas in via eſſe exiſtimabis. 2

*Cauſas ſequentium aphoriſmorum, lector candide, non eſt quod à nobis expectes. Rationem dabunt noſtra ad*

ſtra ad

*ſtra ad rerum cæli & naturæ candidatos προλεγόμενα: ad quæ tanquam ad Lydium lapidem hîc tibi ſcripta ut explores, iterum atque iterum hortor & moneo. Cæterùm ſi cœptam uiam μεθοδικῶς poſthac ubique minùs ſequemur, nec uerborum lenocinio aures tuas demulcebimus: naturæ rei, quicquid id eſt, modeſtè, ut omnia, pro tuo candore condonabis.*

*Ornari res iſta negat contenta doceri.*

NVBES.

3 Nubes biduum, triduúmve plus minus circa horizontem ex fuſco ſubalbeſcentes, per Hyemem (ſpirante præſertim Aquilone) gelidas niues, Vere & Autumno grandinem aut pruinã parturire, vt eſt ab antiquis traditum, ita mihi in hoc Gallico cælo ſæpenumero obſeruatum.

AER.

4 Si aer remixta albedine turbidus, per hybernam conſtitutionem remiſſo vtcunque frigore, in pluuiam ſeſe comparare videbitur: niuem (vento ad Boream annuente) pro pluuia plurimùm ſupponet.

FRIGVS.

5 Si cũ multis pluuiæ ſignis frigus adeſſe obſeruabis, Hyeme pręſertim, & imminẽte necnon excurrente AEquinoctio verno, niuem aut grandinem pro foribus adſtare neſcius non eris.

AREAE.

6 Areæ, ſeu coronæ circa Solem, Lunam, & inſignes ſtellas, cum ventorũ turbulentia ſubrubræ vel pallidæ glomeratim conſpectæ, niuem hyemali tempore nuntiant.

VENTI.

7 Spirante Borea, Aquilone, vel Aparctia, ventis nobis frigidis & niuoſis: adhæc Thraſcia,

& Ar-

& Argeſte grandinoſis, nubium pallor diuturnus ſi aderit: niuem, grandinem, aut congelata pluuiarum granula (modò cætera conſenſerint) expectare licebit.

NVBES. Vigente grauida nube, eáq; pallida (quam albam tempeſtatem nonnulli vocant) aerem commoueri ſi videbis, & nubibus nubes ex albo ſubobſcuras conglomerari: inſtãtis grandinis, aut niuis (modò locus, & anni pars ſubſcripſerint) immemor non eris. 8

PLVVIA. Pluuiæ ſigna pauca eadémq; imbecilla ſic ſatis, cum temperato calore vel remiſſo frigore, quoties obſeruabis: rorem, nebulam, pruinam, aut pro his aeris obſcuritatem, locis & temporibus ad id opportunis, toties in via eſſe experieris. 9

AER. Hyeme, conſequentibus diebus aliquot, vrgente gelido cælo incraſſatus aer, adfuturam niuem (vt per inæqualis Autumni, & frigiduli Veris initia, grandinem) profundere nihil cunctabitur. 10

Signa alia, ex ventorum & tempeſtatum prognoſticis (de quibus poſtea) pro locorum, & anni partium natura, ſingulis ſingula prudenter temperando, exhaurire perfacile erit. 11

SIGNA

# SIGNA VENTORVM, AB his quę in Cęlo, Aere, Aqua, & Terra, palàm omnibus apparent.

## CAELVM.

1 SOL matutinus, veſpertinúſque, orbe rubicundo, fuſco, rufo, aut verſicolore, vel quomodocunque aliter picturato ſuccenturiatus, ventorum carceres (qua mundi parte vaneſcens ipſe circulus ſeſe aperiet) actutum recludere aggredietur.

*Signa ventorum à Sole, & quæ illum comitantur.*

2 Sol varius apparens, & igneos purpuraſcentéſve radios effundens, ſiue in partes exteriores, ſiue in ſemetipſum, ventura flatuum prælia commonſtrat.

3 Sol de inferno hemiſphærio radios ſub auroram obſcurè rubentes iaculans, vel eius picturæ nubes præ ſe agens, ventorum teſtimonia ſecum habet.

4 Si caligo tenuis, & perexigua circũ vibrantes Solis radios extẽdetur (qualem nonnunq̃ tenellæ nubes præ ſe ferunt) venti venientis nõ ſecus admonebit, quàm ſi cũ crocatis nubibus Phœbæa lãpas ſeſe à nobis ſubduceret.

*Perexigua cum Sole caligo.*

5 Exoriente, labentéve Sole, ſi à Borea nubes vna vel altera rubeſcet, illinc ventos domeſticos, vt Boreã vel Aquilonẽ, cælũ ſparſurũ eſſe ſignũ erit. Si ab Auſtro, Auſtrũ: & ita de relqs.

*Cum Sole nubes quid præſagiãt.*

6 Ex ſolaribus radijs quoſdam Auſtrum, alios Boream

*Radij ſolares.*

Boream quaſi diuulſos lucidis cum partibus medijs exporrectiſſimè affectare ſi obſeruabis: ventũ, aut pluuiam in via eſſe exiſtimabis.

*Cum Sole ignitæ nubes.*

In occidentali tractu, poſt lapſum Solem eúmque rubẽtem, nubes ſparſim, inſtar ardentium carbonũ viſæ, ventũ magnũ ſignificant. 7

Sol maculoſus radios manè & veſperi rutila de nube refundens, pluuioſa ventorum ſpiracula promittit. 8

*Poſt Solem candidus circulus.*

Si abeunte Sole candidus ad occaſum circulus apparebit, ventum magnum vnde primùm aperietur portendet. Qui ſi longè ante occaſum, vel bona diei parte, ſub vaſta mole puniceus conſpectabitur, etiam cũ ventis tempeſtates dabit. 9

*Solares nubes.*

Solares nubes, quas Græci παρήλια dicũt, ab vna tantùm parte ſi informarit Sol, ac radios veluti minio intinctos longè porrexerit: vehemẽtes flatus, pro angulis in quos ſpectra ipſa annuerint, illum portendere certus eris. Quod in Luna, & eius paraſelenis (ſed minùs quàm in Sole) adhæc in ſtellis, ſed infirmiùs quàm in Luna, etiam perappoſitè agnoſces. 10

*Rubicunda cum Sole quid portẽdant.*

Rubicunda omnia (vt paucis multa dicam) naſcentẽ Solẽ vel cadentẽ comitantia, vẽtos plurimùm attuliſſe, vt veterũ monimentis eſt traditũ, ita obſeruationibus multis firmatũ. 11

Vnde emergere debeant ventorum flatus, de ſitu radiorum Solis ad horizontẽ, vel mo- 12

tu

tu nubium ventoſum aliquod ſignum præ ſe ferentium, facilè excipies. Quæ ſignificatio non in ſolo Phœbi exortu, ſed etiam lapſu, locum habebit.

13 Vento (inquit Maro) ſemper rubet aurea Phœbe. Illa itaq; poſt cõiunctionem & ante, tertia vel (vt alijs placet) quarta: adhæc, poſt alias ad Solem configurationes in rubicundula nube, quaſi tremula apparens, ventos ab ea mundi parte inſurrecturos oſtendet, in quam à Zodiaco ipſa declinabit. *Virgil. Georg. 1.*

14 Luna in nube purpuraſcẽte ſubtilis viſa, corporiſque ſui partem à fratre nequaquam illuſtratam vultu ſolito ſplendidiore oſtẽtans, flatus ex eo cæli tractu promittit, in quem ſubſtrata nubes viam affectabit. Quanquam alij ad oppoſitum ſitum detorquent: quod vtiq; abſurdum omnino non eſſe, fidem faciet obſeruatio. *Signa ventorũ à Luna, & quæ illi cooriũtur.*

15 Luna ignea aut flaua, circulos circa ſe diuiſos & interhiantes multos excipiens, ventorum luctas vehementes, & ex his tempeſtates validas indicat. *LVNA circulis comitata.*

16 Luna ſi ad circuli ſui partem eam quæ luminis eſt expers, crocea, vel rubicundula apparebit: ventoſum bona ex parte menſem, intenſius & remiſſius, pro colorum varietate conſtantiáq;, apertè teſtabitur. *Luna crocea vel rubicundula.*

17 Si Luna pleno cornu lucens, circulum circa ſe habebit: qua ex parte is plurimùm ſplendicabit,

dicabit, ex ea adfuturũ vẽtũ maximè oſtẽdet.

*LVNA opaca & obſcura.*

Luna opaca cornua, & obtuſa, imò verò vul 18
tum totum adeò fuliginoſum præ ſe ferens,
vt falcata dici videríq; minimè poſſit, idem
omnino quod ſuperiora pollicetur.

*LVNA ſine vmbra, vel cum obtuſa.*

Luna obiecto aliquo corpore prӕalto, vt 19
mõte, arbore, vel turri, vmbram quatenus pro
præſente luminis fœneratione illi datum eſt,
nullam vel ſaltẽ obſcuram proijciens: ventos
pluuioſáq; Auſtrorum ſpiracula intentat.

Lunæ cornu ſuperius acuminatũ & rigidũ, 20
Septentrionalẽ ventum, vt inferius Meridio-
nalẽ, portẽdit. Vtrũq; rectum, vẽtoſam noctẽ.

*De vtroque Lunæ cornu.*

Lunæ cornua vtcunq; reſima, & ſubpurpu- 21
rea, mitem Zephyrum augurantur. Si contrà
ſe habebũt, Apeliotẽ. Sed ea cautio in Septẽ
trionalibus hiſce regionibus, ægrè mihi eſt
deprehenſa.

Luna Boreale corniculũ tenebricoſum & re 22
tuſum habens, à Septẽtrione vẽtũ promittit.
Auſtrale, à Meridie. quãq̃ paulo aliter Plinius.

*Varietas in vtroq; Lunæ cornu.*

Lunæ nauiculatæ cornua ſurſum erecta, & 23
acuta, ventoſam noctem, & fortaſſe diem ſe-
quẽtẽ ſignificãt. Itidẽ ſi in plenilunio rubella
ſpectabitur Dianæ facies alioquin argẽtea.

Ambobus cornibus tertium diem agens Lu 24
na, ſi neq; nutabit, neq; reſupina lucebit, ſed
ſublimes vtrinque apiculos protendet: occi-
dentales venti, illam poſt noctẽ agitabũtur.

Luna

25 Luna in plenilunio rutilans,& ſe in orbes variegatos circumueſtiens , qua parte maximè ſplendicantes illos oſtẽtabit,ex ea tempeſtuoſos ventos licebit expectare.

*Luna cum variegatis orbibus.*

26 Lunæ cornu ſuperius quaſi cõniuens, Boreã ſuſpectũ facit:reſupinãs,Auſtrũ.Quòd ſi duo tréſve circuli circa Cynthiam aptabuntur,ab vno ventum ſerenum (modò extẽplo marceſcat, & feneſtratim expiret) præſtolaberis: à duobus ſereniorẽ:& ita de reliquis deinceps.

*Circuli circa Lunam.*

27 Area,ſeu corona, Græcis ἅλως dicta, Lunã orientẽ,aut occidentem,vel per alias cæli regiones exſpatiantem ſi obſederit: tãtiſper dũ diſparebit,certi nihil pronuntiabis. Nam qua ex parte diſpeſcetur, aperietúrq;, inde vẽtos emittet. Quod à pluribus partibus factum ſi videbis:eorũdẽ cõfuſio,ſúſq; déq; inferiora vrgebit:ac dubiã in aere flatuũ pugnã cõcitabit.

*Coronæ Lunares.*

28 Stellas(vt cũ vulgo loquar)præcipites,obſcuram per noctẽ (albeſcẽte à tergo tractu) crebrò volitare,& penè dixerim ruere ſi videbis : vẽtos ex ijs partibus in quas ferẽtur,expectabis. Si de pluribus, vagos & errabundè inconſtantes.

*STELLAE cadentes.*

29 Crebra & inſolita ſtellarũ ſcintillatio,certiſſimũ vẽtorũ ſignum eſt.Quæ circa planetas ſi cõtinget(quanq̃ hoc negãt)cũ vẽtis etiã pluuias excipere pro ſoli & cæli natura par erit.

*Stellarum ſcintillatio.*

30 Orionis,Arcturi,Pleiadũ,& inſigniorũ primæq; notę ſtellarũ aliquot cęlo hærẽtiũ,matutinos

*Fixarũ ſtellarum exortus & occaſus.*

tinos cũ Sole & planetis exortus, veſpertinóſque occaſus, necnon cæli (vt loquuntur) mediationes, ventoſas tempeſtates, ac pluuias aduehere, antiquorum libris hodiernę ſubſcribunt obſeruationes.

*Stellarum quãtitas cũ colore mutari viſa.*

31 Stellæ ſolito maiores lucidioréſq; viſæ, ventorum afflatus ex ea cæli parte minantur, in quam de ecliptica pro ratione latitudinis inclinabunt.

32 Circuli circa errantes vel inerrantes ſtellas viſi, idem quod de Sole & Luna diximus, promittunt.

COMETAE.

33 Comatæ ſtellæ (vt alibi oſtendimus) ſi diu ſub ingenti corpore excanduerint: ex ea parte vnde inſurgent, vel in quam caudam iaculabuntur, inſignes ventos & conſtantes adfuturos nuntiabunt.

TRAIECTIONES.

34 Traiectiones ex quo mundi angulo frequẽtes micabunt, ex eo irruituros ventos teſtabũtur: à contrarijs partibus ſubſilientes, eorundẽ inſtabilitatem: à quatuor mundi plagis erumpentes, omnimodas tempeſtates, vſque ad tonitrua, & coruſcationes. Quod ad ignitas aeris impreſſiones alias, pro tua prudentia non ineptè etiam accommodare poteris.

*Parahelius & paraſelene.*

35 Parahelius aut Paraſelene (de quib⁹ ſectione prima) ſi ex parte Auſtri vel Aquilonis apparebit, illinc ventum aut aquam dabit.

AER.

## AER.

36 VENTVS in Solis & Lunæ coniugio ſpirãs ſi in tertium vſq; diem perſeuerabit, primum tetragonum, & fortaſſe plenilunium attinget. Quòd ſi die tertio alius quiſpiam interuenerit, ventorum confuſio (vincẽte tamen qui tertius fuit) oborietur. Quam obſeruationẽ ad plenilunium & præcedentes, necnon ſequentes Lunæ ſchematiſmos etiam appoſitiſſimè adaptabis. Quanquam alij ventum eum qui in aliquo Lunæ articulo viget, in ſequentem vſque duraturum exiſtimant. Quod tamen apud nos locum non habere, plus centies exploraui. VENTI. *Hîc aduertat Lector ſedulus.*

37 Quia raro pluuia, aut nix abſque vento ceſſare, abigíque ſolet, idcirco vtraque ſi inſignis erit, flatuoſum aerem non procul abeſſe teſtabitur. *Pluuia & nix.*

38 Poſt ſubſidentem pruinam, caliginem, aut nebulam, ventus moueri plerunq; conſueuit. Propterea ſi hæc abundauerint, futuri Auſtri indicium eſſe volunt. *Pruina & caligo.*

39 Cælo ſereno, nebula quantumuis parua, dũ Sol exoritur viſa, flatum procelloſum alicubi minatur. NEBVLA.

40 Purpureæ nubes, poſt lapſum Solem Septẽtrionem verſus in longum exporrectæ, ventos (ſplendente eo cæli tractu qui intercedit) intra triduum validos præſagiunt. NVBES *purpureæ.*

41 Nubes ventoſa in eam horizontis partem, *Nubes ventoſa.*

à qua ſpirare non videtur vẽtus, deerrans, flatus eò migraturos ſignificat.

*Nubes montanæ.* Nubes in montium verticibus longè latéq; diſperſæ, in quancunq; partem agentur, illinc ventum inuaſurum promittunt. Tametſi alij ab ea plaga efflaturum contẽdunt, vnde propellentur nubes. 42

AER *rubidus.* Aer abſq; profundis nubibus, & obſcura caligine, per maiorem hemiſphęrij partem rubeſcens, ventos adfuturos, niſi falſæ ſunt cum libris obſeruationes, hactenus quaſi digito indicauit. 43

*Coruſcatio matutina, & veſpertina.* Matutinæ coruſcationes (vt etiam veſpertinæ) abſque tonitru, & nubibus, per horizontem vaſtè micantes, ventos pluentes & quandoque ſerenantes oſtentant. 44

FVLGVR. Vere, AEſtate, & Autumno, ſi ab Euro, vel Auſtro (purpuraſcente alicubi aere) frequenter ac plurimùm coruſcare videbis: adhæc à Zephyro, & interdum Borea: illinc vẽtos ingruere coniectabis. 45

TONITRV *matutinũ & veſpert.* Tonitrua matutina, aerem perflantem antiquis attulerunt: veſpertina & meridiana, imbrem. Sic ab Auſtro, Cauro, vel Fauonio, quoties nocte ſerena plurimùm fulgurauit, imbrifer ventus in via ſæpe fuit. 46

TONITRVA *Hyberna.* Tonitrua, Sole hyemalia ſigna perluſtrante, crebrò audita: Ver, & nonnunquam annum totum, ventoſum, quaſi tuba de alto, rerum aeriarum obſeruatoribus cecinerunt. 47

AEſtate

48 AEſtate ſi vehemẽtius & crebrius tonabit quàm coruſcabit, vẽtoſas aeris commotiones ab eo angulo vnde percrepabunt tonitrua, formidabis. TONITRVA *æſtiua.*

## AQVA.

49 MARE plus ſolito cæruleum apparens, Auſtros nũtiare tradunt: atrum, Aquilones: de repente ex inquieto tranquillum, vẽti vnius in alterum degenerationem, vel incrementum. MARE, & *eius colores.*

50 Spumæ maris diſperſæ, & inſigniter bullantes aquæ, aſperam tẽpeſtatẽ flatuoſámq; promittunt. Adhæc ſi facto ſilentio mare altius intumeſcere deprehendetur. SPVMAE, & BVLLAE.

## TERRA.

51 Nubiloſa montiũ cacumina, ſonitũ mugitibus perſimilẽ edere, aut ſolito elatiora craſſioráq; apparere ſi videbis: præterea inſulam ex vna multas ementiri: Auſtros, & ab his pluuias expectabis. MONTES.

52 Si excluſo oculorum vitio montes, arbores, & reliqua corpora quæ ſub ſenſum cadũt, craſſiora quàm pro conſueto modo, maioráve cõſpicientur: caliginoſos, & præhumidos Auſtros, viam affectare certus eris. ARBORES, & *alia.*

53 Terra natiuum ſuum colorẽ exuiſſe viſa, & nigrior quàm ſit apparens, Boreale ſignum ob oculos ponit: albior, aut pallidior, Auſtrale: præſertim in liberiore cælo, & ſolo. TERRA, *cum ſuis coloribus.*

FOLIA, LANVGO, PLVMAE, & alia.

Folia, ſine aura (ſaltẽ quæ ſẽtiatur) per inane ludentia: & lanugo, vel res quæuis alia in aere volitans: adhæc aquis pluma quaſi aliunde mota, vltro citróque ſubſultans, ventorũ ſigna ſecum habent. 54

FLAMMA & LVCERNAE.

Flamma ſcintillas multas micatim excutiens, ſéque (nullo cogente) intorquens: inſuper lucernæ fauillaceos fungos (vt ſic dicam) eructantes, pluuioſos ventos augurantur. 55

PASSER, CANES & AVES.

Paſſeres præter modum pipillantes, & Aues veluti ſomnia ſibi fingentes, adhæc Canes in puluere ſeſe plurimùm volutantes, adfuturis ventis ſigna haudquaquam obſcura ponunt. 56

ARANEARVM penſa.

Aranearum filamenta per aerem motu vago multipliciter delata, ventorum, & pluuiarum certiſſima præſagia veteribus dederunt. 57

FVLICAE, & ARDEOLA.

Fulicæ per ſerenitatem, relictis paludibus, in ſicco ludentes, & Ardeola multùm obſtrepera mare fugiens, ventos cum aeris perturbatione ingentes minantur. 58

ANATES vrbanæ & agreſtes.

Anates, tum domeſticæ, tum agreſtes, ſi diu & multùm alas excuſſerint, ſéque cum vrinatoribus Mergis ſolito auidiùs aquis commiſerint, tempeſtatum & ventorum præcones habebuntur. 59

MERGI.

Mergi è medio mari ad littus perſtrependo conuolantes, ventorum & tempeſtatis teſtes eſſe ſolent, 60

Anſe-

61 Anſeres inſtante ſeptentrionali vento, in Meridiẽ volatum exercuiſſe ſæpenumero deprehendimus: ingruente verò Auſtrali, ad Boream. ANSERES

62 Echinus terreſtris (qui & Ericius dicitur) duo foramina in ſubterraneo ſuo tuguriolo effodiens, vnum ad Boream, alterum ad Auſtrum: vtrumlibet obturauerit, illinc ventos emerſuros oſtentabit. Si ambo: illorum pugnã confuſè variam indicabit. ERICIVS.

63 Delphini per maris tranquillitatem laſciuientes, & aquas ſocio ſaltu validè perflantes, ventorum impetum ex eo cæli tractu ſignificabunt, vnde primùm erunt viſi. DELPHINI.

64 Signa alia ventorum de ſuperioribus aphoriſmis, & ſequentibus ſparſim colliges: nam omnia omni in loco inculcanda non ſunt: nec prætermittes locorum, & temporum, necnon cæli habitudinum rationes. *Hæc videat Meteorophilus.*

## SIGNA TONITRVORVM, FVLGVRVM ET FVLMINVM.

1 SOL manè aut veſperi per æſtiuos dies, adhæc initiante Autumno, & procedente Vere, caua in nube, & grauida, cum inſolito calore viſus, cælum grauiter tonaturum minatur. SOL.

TRAIECTIONES. Traiectiones ex quatuor mundi angulis (exurgente à meridie atra nube) vaſtè irruentes, tonitruorum & coruſcationum, vel pro his ventorum prouentum magnum conſpirante regione, & anni tempeſtate, præſagiunt. 2

TYPHON. Typhon ventus turbinoſus, AEſtate, Vere, & Autumno, paleas, puluerem, & alia surſum de improuiſo, denſis nubibus obducto cælo, ſi raptabit: tonitrua, & quæ illa comitantur, proxima eſſe portendet. 3

IRIS. AEſtiui dies, & qui illos antecedunt Verni, ſequuntúrque Autumnales, ſi præter anni tempeſtatem incaleſcent: ſéque ad occaſum (labente Sole) Iris proferet: tonitrua & cũ fulgetris fulmina validè formidabis. 4

*Hæc obſeruet Meteorologus.* Signa ventorum, tempeſtatum, & pluuiarum quamplurima, à circulis parahelijs, virgis, nubium natura, & alijs quæ circa luminaria vel alibi apparent, opportunis temporibus & locis, aere quo dictum eſt modo incaleſcente, accidere ſi videbis: ad tonitrua, & quæ inde pendent, ſingula ſingulis, vt par eſt, miſcendo, non ineptè transferre accommodaréque poteris: præſertim ſi Mars & Mercurius, vel cum his Iuppiter, luminarium eclipſibus, & magnis coniunctionibus, vel anno aut eius quadrãtibus præfuerint. 5

Statueram

6 Statueram hoc loco tonitruorum à quatuor mundi plagis exurgentium portenta, adhæc per duodecim anni menſes eorundem prognoſtica, & ad ſingulos dies hebdomadis præfigurationes, ex Angloſaxone Beda adſcribere. Præterea, quid per duodecim ſigna Zodiaci, & anni menſes totidem audita, ex Hermete & Leupoldo præſagiant. Sed rem eam, tametſi ab antiquis accuratè curatam, & obſeruatam, quia faſtidientibus, & optima quæque aſpernantibus ſæculi huiuſce ſtomachis aliquot nauſeam allaturam conieci, manum (quod dicunt) de tabula tollere viſum fuit.

*Sæculi huius mores, ad antiquorum obſeruationes peſſimè cōpoſiti.*

# EPHEMERIDVM AE-RIARVM, ANTONII Mizaldi Monſluciani,

## Sectio tertia.

### *Signa Tempeſtatis, ab his quæ in Cælo, Aere, & Terra, omnibus (niſi cæcis) apparent.*

*Quid propriè Tempeſtas.*

TEMPESTATIS nomine hîc aliud nihil accipies, quàm aeris conſtitutionem ex aqua multa & vento valido: niue & vento: vento & grandine: vento fulgure & tonitru: duobus, tribúſve, aut pluribus inuicem complicatis. Quorum ratio pro partis anni, & cæli ſolíque ſtatu, facilè colligetur. Nam peculiares ſuas habet cōmotiones anni quadrans, & terræ tractus quilibet. Quanquam non ſum neſcius pluuiam ſimpliciter magnam, aut ventum perſtrenuum, niuémque per ſe ingentem, & cum procellis tonitrua, coruſcationes, ac fulmina, quibuſdam etiam tempeſtatis nomine includi. Sed hîc antiquorum & eruditorum, non vulgi, placita ſequimur. 1

*Tempeſtas apud recentiores.*

## CAELVM.

Ergo ſi ſolares radij, obſcura ſe in nube re- 2

cōdent:

condent, videbitúrque Sol ipſe quaſi diuiſus: *Signa tempeſtatis à Sole, & quæ illum comitátur.*
adfuturæ tẽpeſtatis præſagium, pro partis anni natura, hinc ſeriò colliges.

3 Solis radij nubem liuidam, denſam & prægnantem veluti emulgentes, & quodam modo ſorbentes, aſperam tempeſtatem portendunt.

4 Si cadentem Solẽ fuſcatæ nubes montis inſtar vtrinque obſidebunt: erítque aſpectus eius quaſi rubrica maculatus: tempeſtatẽ non procul abeſſe ſcies.

5 Candidus circulus vel lutheus labentẽ Solem conſectans, ventoſam pluuiámque aeris *Circulus circa Solem.*
conſtitutionem denotat, in nube aut nebula vehementem.

6 Luna in exortu ſuo cornua craſſa & obtuſa *Signa tempeſtatis à Luna & quæ illam ſequuntur.*
de fracta grauidáq; nube porrigẽs, breui horrendam tempeſtatem, pro cæli & anni natura, adfuturam minatur.

7 Si nebula obtegentur Lunæ cornua, tẽpeſtatem (ſi quidẽ AEſtas erit) ſignificabunt: ſi Hyems, niuem, vel pluuiam.

8 Luna dum mediã aut alteram luminis partem de fratre fœneratur, valde circularis & obſcura caligine ſuffuſa apparens, tempeſtatum nuntia vulgò haberi ſolet.

9 Luna tertia ſi tonabit, illo menſe tempeſtas bis aderit: ſi quarta (pro partis anni modulo)

fulgur

*LVNA flammea.*

fulgur, vel grando. Sin flammea videbitur, inualeſcent venti.

*CORONA circa Lunã.*

10 Luna quarto die recta, Varroni magnã tempeſtatem in mari præſagit: niſi fortaſſe coronam circa ſe habebit, eámque ſynceram. Nam tum ante pleniluniũ hyematuram aſſeuerat.

*STELLAE*

11 Si ſtellarum fulgor derepente hebetabitur: neque alicũde nubes, aut caligo obuiabit: nec Lunæ argenteus vultus, vt talia fiant cauſam dabit: tempeſtati aduentanti proſpicere percommodum erit.

## AER.

*Circulus vaporoſus, & aerius.*

12 Candidus circulus ſerò ad occidentalẽ horizontis tractum viſus, leuem ſignificat opportuno tempore noctis tempeſtatem.

*NVBES*

13 Si manè ſeróque nubes ad orientem & occidentem igneſcunt, vel Auſter Boream accerſit, ex frequenti obſeruatione tẽpeſtas idoneis locis & temporibus portendetur.

*Coloratæ nubes.*

14 Nubes ex purpureo vel croceo liuẽtes, grauidæ, denſæ, & continuę, tempeſtates ſonoras parturiunt.

## TERRA.

*MONTES, & alia.*

15 Montium, abſque manifeſta cauſa, auditus ſonitus: & nemorum fragor, cælíque murmur: formidanda tempeſtatis præludia exhibent.

16 Ignes pallidi, & crepitantes: adhæc circun-

poſiti

poſiti hinc inde ellychnijs fungi, idem ferè ob oculos ponunt. IGNES, & Ellychnia.

17 Ignis ſcintillas (vt ſic dicam) exſpuens, & carbo vehementer candens, necnon fauillam à ſe ſubinde excutiens: præterea cinis in foco vltro concreſcens, tempeſtuoſos ventos in via eſſe nuntiat. CARBO & CINIS.

18 Si ægrè lucebit foculus, & flamma obliquè flexuoſéve agetur: adhæc lucernæ, candentes micas elident: & ollis ſponte adhærebunt carbones: ventoſæ tempeſtatis & nimbiferæ augurium eſſe reputabis. FOCVS, flāma LVCERNAE OLLA.

19 Grues manè gregatim conuenire ſi videbis, vel vnde migrarunt ilico remigrare: hyemalē tempeſtatē proximam eſſe moneberis. GRVES

20 Si Anſeres pro cibo & paſtu inuicem pugnantes in clangorē inſolenter prorumpent: aut Paſſerculus manè præter conſuetudinem immodicè pipillabit, idem quod antea expectabis. ANSERES & PASSER

21 Nycticorax in caducis parietibus & antiquis domorum teſtudinibus præter conſuetudinem (licet cælū inuitet) deliteſcens, haud dubia adfuturæ tempeſtatis prognoſtica ob oculos ponit. NYCTICORAX

22 Cornix præcipiti voce & incondita cornicans, & Paſſer, vel auium quæ minus albæ eſſe conſueuerunt alia quæuis, ſolitum colorem exuere CORNIX & Aues.

exuere viſa, de priſcorũ obſeruationibus tem-peſtatem imminentem indicat.

MERGI Corui, & Nycticorax — Mergi maria aut ſtagna fugientes, & Noctua ſerenãte veſpera, plus æquo querula: Pręterea Corui vocem carptim reſorbenres, ventoſum imbrem & procelloſum præſagiunt. 23

GRACVLI, CORVI, & PAVONES. — Corui turmatim ſimul paſcentes, vocéſque multas identidem mutantes: Inſuper Graculi ab Auſtro gregatim volantes: & Pauonum inſoliti clamores, adfuturam tempeſtatem deſignant. 24

BOVES. — Boues pręter modum famelicos in dextrum latus iacêre ſi videbis, futuræ tempeſtatis ſigna cum prædictis illos & tueri & augere cõiectabis. 25

BVCVLAE, & OVES. — Boues, & Buculæ, ad ſtabula cum triſti mugitu redeuntes: adhæc Oues matutinam Venerem promiſcuè exercentes, tempeſtatis ſurgentis teſtimonia habent. 26

LVPVS. — Lupus inſolito more ſolus ab alijs frequenter horrendúmque vlulans, & ruſticorũ arationes parum cõſultus adiens, nihil diuerſum ab alijs ſignificat. 27

CANES, CANCRI, & MVRES. — Canes pedibus humum effodientes: & fluuiales Cancri terram (aquas exoſi) affectantes: Mures item præter ſolitum ſibilantes ac pauitantes, idem omnino concinunt. 28

APES. — Apes ſereno cælo haud ita procul à ſuis 29

apiarijs

apiarijs floſculos excerpere, & intus bona ex parte mellificio incumbere ſi videbis: luctantes cum pluuijs ventos, tempeſtatéſq; ſonoras, præſagire exiſtimabis.

30 Loligo volitans, & Cõchæ adhæreſcentes, necnon Echini ſeſe affigentes, pręterea Ranę vltra modum vocales, tempeſtatem venientem augurantur. *Loligo, Conchæ, Echini, & Ranæ.*

31 Sepiarum oſſa in littoribus affatim natãtia, Pulmones item marini ſolito numeroſiores conſpecti, idem quod prius indicant. OSSA *ſepiæ, &* PVLMONES.

32 Trifolium contra tempeſtatem inhorreſcere, & folijs veluti contractis rigere, tradiderunt veteres. TRIFOLIVM.

33 Signa tempeſtatis alia (quæ multa ſunt) de pluuiarum, ventorũ, niuis, tonitru, & ſimiliũ prognoſticis, nõ neglecta vbique cęli ac temporis necnon locorũ ratione, facilè leuitérq; erues. Nec malè te habebit, ſi quãplurima ex ſuperioribus huc transferre (exigente materia) nihil erubuimus. *Hæc videat verũ aeris ſtudioſus.*

## SIGNA SERENITATIS, ab his quæ in cælo, aere, aqua, & terra, omnibus apparent.

### CAELVM.

1 SOl tibi ſigna dabit. Solem quis dicere falſum
Audeat? vt magni muſa Maronis habet *Signa ſerenitatis, à Sole & quæ illum comitantur.*

Ille

Ille itaq; ſi in exortu ſuo caliginis nubiúmq; & varietatis expers erit,hoc eſt,purus,vnicolor,& vbiq; ſimplex apparebit: diem eam ſerenam cum ſua nocte,certò tibi aduehet.

Si blando poſtmeridianus fulgore & innubilus occumbet Sol, purum habens veſpertinum cælum:ſubſequentem auroram, eámque noctem ſerenam dabit. 2

Reuiſente hemiſphæriū noſtrum matutino Sole, ſi aer perſpicua tenuíque albedine illuſtrabitur,ſerenitatem ſpondebit. 3

Fluxu veſpero deſcendente abeuntéq; Sole,ſi vicinæ nubes rubicundæ, raræque comparebunt:noctem,& qui ſectabitur illam, experiere diem nitidum. 4

Quoties Sol lympidus & minimùm feruens ſeſe ſub horizōtem proripuit,poſtridiéque ſimilem dedit exortum , toties certiſſima ſerenitatis teſtimonia cōmonſtrauit. 5

Solares radij marceſcētibus ſimiles (quemadmodum fieri ſolet,dum Luna terrę & Solis ex directo ſtans,illos obumbrat)ſi ſub aurorā nubes denſas purpuraſcentéſve aut croceas nō viderint,arida per diē illum arua indicabunt. 6

Si magnus orbis paulatim flacceſcens circa exorientem Solem dilatabitur, repentéq; decreſcet,die illo ſerenitatis indigus non eris. 7

Sole matutino emerſu mundum ſalutante nubes per horizontem rareſcere, vel à ſolari- 8

bus ra

bus radijs diſſipatas vaneſcere ſi videbis, ſereni aeris præſentiſſimum ſignum habebis.

9 Circa emergentis Solis vel cadentis aureã imaginẽ caligo leuicula, aut aerea nebula apparens, tempus ſerenũ (ſi modò vera fuit nebula) ſemper nuntiauit.

10 Sol per pluuias igneus occũbens, aut ſubpurpureã faciem præ ſe ferens, ſequentem lucem pluuiarum expertem antiquis ſignificauit.

11 Sole in orientali tractu degente Iris ad occaſum viſa, ſerenitatis, & nonnunquã pluuiarum leuiſſimarum teſtis eſſe mihi ſępenumero obſeruata fuit.

12 Verſante ſupra horizontẽ Sole, Irides (qua parte nox humida cælo præcipitat) per tẽpeſtatem viſę, ſerenitatẽ indubitatã ſpõdent: ad orientalem verò tractũ, dubiã. quod de librorũ fide tametſi certũ eſſe conſtat, tute nihilominus etiã de experiẽtia cõſtãter obfirmabis.

13 Si Sol ab ea mundi regione vnde ſpirat vẽtus recedet: aut in qua eſt, vel mox proficiſcetur, inſurgent flatus: ſerenitatẽ, niſi falſæ ſunt antiquorum obſeruationes, certò promittit.

14 Luna tertia vel (vt dictũ eſt) quarta, tenui puráq; luce & ſubtili niteſcens, hoc eſt ſyncerum lumen nullis interiectis effumationibus præ ſe gerens, ſerenitatem haudquaquam dubiam oſtentat. *Signa ſerenitatis à Luna & quæ illam ſequuntur.*

15 Si Luna recens, virgineo ſplendore ſuffuſa

cornua

cornua ſurſum emiſerit: aut in plenilunio (ſaltem per dimidium) pura erit, ſerenitati iacta eſſe fundamenta admonebit.

Luna falcatam ſui corporis abſciſionē corniculo vtroque acuminato admodū argenteā ſi obiectabit, ſerenitatis præſaga habebitur. 16

*Corona circa Lunam.* Si area aut corona Græcis ἅλως dicta, vna & ſimplex circa Lunam abſque vlla interruptione paulatim vaneſcere deprehēdetur, ſerenitatem portendet: cui ſigno tanquam vero perpetuò adhæſerunt antiqui. 17

Si Luna in exortu quarto (nanque is, vt eſt apud Vergilium, certiſſimus author) 18

*Virgil. 1. Georg.*

Pura, nec obtuſis per cælum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem, pluuia ventíſq; carebit.

CIRCVLI *circa ſtellas.* Circuli candidi, vel ſubpurpurei, circa planetas aut fixas ſtellas viſi, ſerenitatē, & quandoque ventos, rerum aeriarum obſeruatoribus ſignificaſſe traduntur. 19

STELLAE. Stellæ blando fulgore ſcintillantes (etiam ſi perreptantibus niueis nubeculis, cęlum alicubi obducetur) ſuperioribus pro ſerenitate ſuum adijciūt calculum. 20

GALAXIA. Lacteus in cælo tractus (quem noſtri, ſancti Iacobi viam, Græci γαλαξίαν dicunt) perſpicuus, & quoad eius fieri poteſt nitidus apparens, ſerenitatis teſtimonia confirmat. 21

Crinitæ ſtellæ (vt etiam traiectiones) diu 22

ſub in-

ſub ingenti corpore micare viſæ, ſquallorem & ſiccitates prænuntiant. In quibus quia ſecundus cometographię noſtrę totus eſt liber, verbum non amplius addam.

COMETAE, & TRAIECTIONES.

## AER.

23 Coruſcationes ſub veſpertinum crepuſculum abſque tonitru & nubibus, per horizontem frequentes vibratæ, ſerenitatem indicãt.

CORVSCATIONES.

24 Nubes veluti plumeas, & lanarum flocculis aut candidis velleribus ſimillimas, per aerem alto iam Sole cæruleum colorem intertexentem diſperſas ſi videbis: ſerenitatem in via eſſe tibi ſpondebis.

NVBES.

25 Si nubeculas hincinde per horizontẽ emergentes è veſtigio tabeſcere vaneſceréq; proſpectabis: cælum (ventorum carcere clauſo) ſerenam auram promittere certus eris.

NVBECVLAE.

26 In pluuioſa tempeſtate nubium diſgregatio quæ prius nõ erat oborta, ſerenitatis ſpem aliquam oſtentat: maximè ſi ab ea horizontis parte vnde exiliunt flatus, continget.

*Nubiũ diſgregatio.*

27 Ab ortu occaſum verſus nubium matutina aut veſpertina propulſatio agente vento obſeruata, ſiccam ſerenámque aeris conſtitutionem mihi plerunque commonſtrauit.

*Nubiũ propulſatio.*

28 Nubes in æquore vel alibi prædenſa apparens, & aquas propemodum attingens, ſi in

*Nubes in aqua.*

ſublime fruſtulatim direpta attolletur : ſerenitatẽ (niſi omnino mentiuntur antiqui) prę-nuntiabit.

*Nubes raræ* Nubes raræ & de ſuperficie tantùm liuidulæ, in pluuioſo cæli ſtatu, quia vaporum reſolutionem paulatim fieri teſtantur, ſerenitatis augures eſſe plurimùm ſolent. 29

PRVINA, & VAPOR. Pruina parua (vel potius nebula) Vere, & Autũno cum aurora frigidula exurgente Sole peſſum abiens: adhęc circa aquas, paludes, aut prata matutinus fumus apparens : diuerſum à ſuperioribus ponit nihil. 30

NEBVLAE. Nebulę montium ima potius quàm iuga obſidentes, vel in medijs campis humiles proſtratæ, eandem omnino cantilenam cũ iam dictis occinunt. 31

ROS. Ros manè aut veſperi in quacunq; anni parte plurimus deſcendens, ſerenitatis præco fidiſſimus hactenus eſt habitus. 32

SPLENDOR. Splendor per pluuioſnm auræ ſtatum ad Bo ream elucens, ſereni cæli (etiam ſi ad Auſtrum nubes coacta fuerit) ſignum appingit. 33

AVRORA, & *cælum rubens.* Aurora AEſtate ſolito frigidior cum nubibus ab exortu occaſum verſus tendentibus emergens, ſerenitatẽ perinde nuntiat, ac ſi ſub veſperã cælum rubeſcere deprehenderetur. 34

VENTVS. Boreas validè ſpirans tametſi nubes multas cogit, nihilominus ſerenitatem (ſaltem apud nos) aduehere plurimùm conſueuit. 35

Si ad

36 Si ad horizontem, tonitru abſente, coruſcabit, nulla nube ibi aut alibi percepta, ſerenitatem in via eſſe moneberis. CORVSCATIO.

## AQVA.

37 Serenum aerem & tranquillum ſperare minimè licet, dum mare longè à littoribus ſonos exhibet, aut littora ipſa ſolito plus perſonant. MARE.

38 Littora abſque arenoſis ſulcis plana, Auſtrũ pluuiarum nutritium quieuiſſe, & proinde ſerenitatem pro foribus ſtare oſtendunt. LITTORA.

39 Nebula circa mare, flumina, prata, & loca ſubaquoſa, veluti in planiciem depreſſa, idem quod nunc nuper teſtatur. *Nebula ad mare.*

## TERRA.

40 Montes prærupti in iudicijs aeris ſuam contemplationẽ, ſuáque prognoſtica ſuſtinentes, puros vertices ſi habebunt: ſuffragium iam dictis non denegabunt. MONTES.

41 Lucernæ flãmula (etiã per pluuias) quieta & nullo ſtridore querula, futurę ſerenitatis nõ obſcurũ cum ſuperioribus habet teſtimoniũ. FLAMMA.

42 Noctua poſt Solis occaſum frequens viſa, & Halcyon cum ſua ſobole (Solẽ veluti exoſa) vmbras captans, ſerenitati ſubſcribit. NOCTVA, *& Halcyone.*

43 Corui priuatim crocitantes, & lętantium in morem congreſſu turmatim facto liberiùs vociferantes, ſereni aeris pręcones eſſe ducũtur. CORVI.

Coruos ſub nocturnum crepuſculum grega tim verſari ſi videbis:& dum ſeparãtur, ſummè crociẽdo dulces inuiſere nidos:idem quod antea præſagire exiſtimabis. 44

Corui contra Solem hiantes,& manè per arborum ramos plumas dilatantes,nihil diuerſum exhibent. 45

CORNIX. Cornix emergente Heſpero querulam vocem ſubinde varians,marceſcentis tempeſtatis (vt manè ſerenitatis) ſignum dare,obſeruationibus multis comprobatur. 46

NOCTVA. Nocturna noctua poſt Solis occaſum in tẽpeſtate blandè cucubans, ſerenam auram adfuturam ſpondet. Querula verò in ſerenitate, tempeſtatem. 47

AVES. *Piſcariæ.* Ichthyophagæ aues tam lacuſtres quàm fluuiales, & marinæ,die tota procul ab aquarum crepidinibus viſæ, pro pluuia ſerenitatem oſtendunt. 48

COLVMBI, & MILVIVS. Sylueſtres Columbi inſolenter cantillãtes, & Miluij dum ſublime petunt inuicem colludentes, ſereni vulgò haberi ſolent. 49

VESPERTILIO. Veſpertiliones ex ſuis fornicibus (dum nigras labens Sol aduehit vmbras) prodeuntes, & numeroſiore quàm conſueuerunt agmine volitantes,ſerenitatem augurantur. 50

GRVES. Grues tacitum ſecurúmque volatum gre- 51

gatim

gatim moliri, nec ilico pedē referre, ſi animaduertes, blandam ſerenitatem (nam tempeſtatum, vt diximus, exceſſum ægerrimè ferunt) nuntiare cogitabis.

52 Paruulæ Muſcę ſub Solis occaſum pyramidis, aut globuli in modum ſurſum paſſim coactæ, longis obſeruationibus ſerenitatis indices ſunt habitæ. MVSCAE.

53 Caligo poſt pluuias vel vdum cælum per aerem ſparſa, ſerenitatis prognoſticon antiquis exhibuiſſe traditur. CALIGO

54 Reliqua ſereni aeris teſtimonia de priuatione, vel contrarijs ſignis (qualia ſunt humidarum aurę conſtitutionum prognoſtica, quorum catalogus præceſſit) facilè excipies: adhæc de ventorum flatibus, hunc vel illum aeris ſtatum proritantibus: non aſpernata locorum & temporum necnon ſtellarum cum Sole emergentium vel labentium, ratione ac natura.

EPHE-

# EPHEMERIDVM AERIARVM, ANTONII Mizaldi Monſluciani, Sectio quarta.

## SIGNA *Frigoris, & Gelu.*

SOL.

1 SOL ſubfuſcus,pallidus, & quadantenus viridis apparens:aut cum eiuſdem plumæ nubibus oriens vel occidēs: hyemalem aeris cōſtitutionem frigidā nimirum & pluuiā aut niuoſam, ventoſámve magis & minus pro ſoli, cæli,& partis anni ratione,ſignificat.

2 Sol circa diuinum maieſtatis ſuæ ſpectaculum, vnum duóſve circulos liuentes vel ſubæruginoſos admittens, à ſuperiori diuerſum nihil commonſtrat.

3 Hyeme,ſpirante ſeptemtrionali vento,vel orientali, Sol deſcendens, ſolito rubicundior aut pellucidior ſi videbitur:gelu penetrabile conſentiente anni parte aduehet.

LVNA.

4 Luna ante cōiunctionem & alias ad Solem cōfigurationes,tertia quartáve pallida,nigra, aut obſcura conſpecta , hybernum cæli ſtatū (vt de Sole dictum eſt)nuntiat.

Stellæ

5 Stellę(vt etiã Luna)ſupra ſolitũ nitorẽ,hye me micantes,inualeſcẽtiũ frigorũ,aut (ſi minus aderũt) imminentiũ ſigna,quemadmodũ ſedula docuit obſeruatio,non obſcurè dabũt. STELLAE.

6 Poſt longa, eadémq; aſſidua orientalis venti ſpiracula,gelu initiari ſi videbis:aut illi niuem,vel grandinem ſuccedere:eius duratiõnẽ expectabis. Si aderit pluuia,intermiſſionẽ. GELV.

7 Ineunte gelu grando alba,gracilis,& rotunda cadens,frigus intendi:pallida verò,craſſa, oblonga,& quadrata,laxari promittit. GRANDO.

8 Si Aquilonius vẽtus vel ſociorum quiſpiam terras validè perflabit (etiam ſi aderunt nubes) idoneis locis & temporibus de tepida aura egelidam ilico efficere obſeruabis. VENTVS.

9 Niuis labentis particulæ ſubtiles,& paruę, horriferum gelu, & ægrè ceſſaturum nũtiant: magnæ,latæ, & flocculis ſimillimæ temperatum,& fortaſſe remitti paratiſſimum. NIX.

10 Frigidis morbis & chronicis obnoxios,necnõ oſſium fracturis & luxationibus malignísve hulceribus & antiquis fatigatos,de recrudeſcentium dolorum impatientia inſtans frigus,vt de pluuia ſuperius monuimus,præſentiſcere certum eſt. MORBI.

11 Paluſtres aues & ſtagnariæ gelu initiãte in magnas aquas fluentes & gelicidijs parũ opportunas excurrere viſæ,maximũ frigus necdum diſſolubile mihi plerunq; portenderũt. AVES *aquatiles.*

*Aves paruulæ.* Quoties diuerſarum ſpecierum vel vnius duntaxat paruulas aues, ineunte hyeme denſa dumetorum latibula quæritare, & cumulatim congredi obſeruabis: adhæc, paſtum non procul ab vrbanis vel ruſticis ædibus venari: validiſſimi frigoris & intenſiſſimi ſigna præ oculis habebis. 12

Inſolita extremarum corporis partium frigiditas his qui foculo nunquam aut rarò aſſident derepente oborta: gelu ſi non adeſt, inſtare: ſi adeſt, inualeſcere inſinuat. 13

*Panni.* Si lineus pannus laneúſve frigida immerſus, & ſub dio appenſus, ſtatim rigebit: ſuperiorum teſtimonia firmabit. 14

*Ignis, & carbo.* Ignis per hybernos dies ſolito rutilantior calidiórque viſus, & carbo inſigniter candens: frigus ſi adeſt, acerrimum: ſi abeſt, proximum indicat. 15

Signa alia frigidi aeris, qua parte de pluuijs, ſerenitate, & tempeſtatibus egimus, ſeruata vbique temporum & locorum ratione, permulta reperies. 16

## COMETARVM, ET TRAiectionum, aliarúmque ignitarum aeris impreſſionum, ſigna.

*A' quibus ſtellis promittantur Cometæ.* SI in Solis, vel Lunæ eclipſi, & altiorum planetarum ( quos ponderoſos nuncupant ) congreſſu: adhæc anni mathematicè initiantis momento primo, Mars ſolus P

vel

vel cum eo Mercurius, in idoneo ſigno & loco, prærogatiuarum punctum omne tulerit: cometam, vel pro illo traiectiones, aut aeris ignita ſpectra alia opportunis tẽporibus expectabis. Quod quomodo accipiendũ & quatenus admittendũ veniat, noſtra Cometographia (quæ tota in cometarũ cauſis, ſignis, portentis, & alijs verſatur) auſpicãte domino propediem breuiter & facilè expediet.

2 Ardores quos Græci καύματα dixerũt, conſequentibus annis vel (ſi mauis) menſibus aliquot longè latéq; per aerẽ graſſati: vt etiã fontium & fluuiorũ inſperatę reſiccationes: crinitam ſtellã, aut pro ea volantia ſydera, & ignitum in aere phaſma quodpiam augurantur. AESTVS.

3 Sol toto die ignitus, & veſperi dum occidit ardentium carbonum inſtar (cælo ſereno) excandens, nec maculoſus ne hilum quidẽ, nocturnas traiectiones idoneo tẽpore promittit. SOL.

4 Primæ claſſis & nomenclaturæ ſydera, poſt ſerenos & inſigniter calentes dies aliquot, rutila & veluti ignita iaculatione ſcintillare ſi videbis: idem quod nunc nuper dictum, in via eſſe experieris. STELLAE.

5 Signa alia (ne frequenti repetitione moleſtus habear) de ſerenitatum aphoriſmis eliges: præſertim ſub finem Veris, & AEſtate, necnon per Autumni initia, conſentiente vbique cæli & ſoli natura.

SIGNA

## SIGNA MOTVS TERRAE.

ECLIPSIS. REGIO ad quam vmbra eclipſis lumi- 1
narium cõuertitur, terræ motui obno-
xia eſſe plerunque ſolet: ídque certiùs,
ſi defectus ipſe in cauda draconis continget.
Qui quãto maior erit, & vniuerſalior, tãto mo
tus validior experietur: quãto minor, contrà.

SOL. Ante terrę motum, Sol diebus aliquot ſine 2
nube obſcurus, & ſumma ſub auroram cum
frigore tranquillitas, necnõ poſt occaſum (vi-
gente ſerenitate) nubecula per aerẽ ſtrictim
ac longulè exporrecta, ſæpenumero apparuit.

NVBES. Ignita nubes, columnulæ ſpeciem in aere 3
prę ſe ferens, Calliſtheni philoſopho trepida-
tionis terræ ſignum veriſſimum exhibuit.

AQVAE. Puteorum & fontium aquas, ante terræ cõ- 4
cuſſionem abſque manifeſta cauſa turbidas
fieri, & ſalſugine fœtoréve aut alio ingrato
miniméque naturali ſapore infici, primus explo
rauit Pherecides, Pythagoræ doctor.

Tranquillitas. Summã tranquillitatem, & ventorũ ſilentiũ 5
in regione terræ motui obnoxia, menſes ali-
quot præceſſiſſe, antiquis obſeruatum eſt.

MARE. Nauigantes futuros terræ motus cõiectura 6
nõ dubia ſentire certũ eſt, ſine flatibus intu-
meſcente fluctu ſubito, aut quatiente icti.
Contremiſcunt & in nauibus poſita, æquè
quàm in ædificijs, crepitúque motum ipſum
prænuntiant.

Nubecu-

7 Nubecula in modum lineæ, occaſum verſus gracilis, oblonga, & alba, terræ agitationem præcedere plerunq; eſt viſa: quo ſigno Anaximander ſuas hiſce de rebus prędictiones ſeriò Lacedæmonijs aliquando confirmauit. *Nubecula.*

8 Aues, cum quadrupedibus pleriſque, loca ſuccuſſationi terrę peropportuna reliquiſſe, & nouas ſedes, quò ſe ab ingruente iniuria vindicarent, quæſiuiſſe, tam eſt obſeruationibus probatum, quàm priſcorum libris teſtatum. *AVES, & Quadrupedes.*

9 Terræ motu aduentante, Sol ac ſi delinqueret caliginoſus, & colore quadantenus cum Cynthia ſorore veluti ſanguineo oblitus, à quamplurimis eſt conſpectus. *Sol, & Luna.*

10 Nunquam intremiſcunt terrę niſi ſopito mari, cæloq; adeò tranquillo, vt volatus auium non pendeant, ſubtracto omni ſpiritu qui vehit: nec vnquam niſi poſt ventos, in venas terræ, & cauernas occulto afflatu conditos. *Mare, & Cælum.*

11 Præcedit motum terræ, & plerunque comitatur ſonus terribilis, murmuri, & mugitibus, aut clamori humano, armorúmve pulſantium fragori perſimilis. Sed de his fuſius in meteorologia noſtra. *SONVS.*

## SIGNA FERTILITATIS, ET STERILITATIS.

1 MAXIMVM & præcipuum ſterilitatis ſignum, imò verò cauſa potiùs, ſunt bella horrida bella, per quorum deploratam *Bellorum ſcelerata impietas.*

ploratam licentiam,& penè dixerim fatalem tyrannidem,armēta arationi deſtinata paſſim abduci, horrea cōpilari, granaria incendi, ſe-mentes euerti, & colonos partim trucidari, partim captiuos agi,nemo ſine largo lachry-marum imbre,& ſuorum iactura irreparabili, non audit,non videt,non experitur. Vnde ar-ua,ſemēte,colono,boue,& equo aratorio ſpo liata lugere, ociari, ac ſterileſcere, neceſſa-rium eſt.

COMETA. Cometes ſub ingenti corpore dies multos excandens,ſteriles agros,& inania vota colo-ni, præter ſæuiſſima alia portenta ( vt alibi docemus )miſeris mortalibus(ni Deus pro-ſpiciat)certò præſagit. 2

*Humiditas.* Si Ver, & AEſtas humiditate ſuperflua ma-debunt: aut caligo vel pruina cum Auſtris pluribus diebus ( dum omnis parturit arbos, dum omnis floret ager ) inualeſcere depre-hendetur: fructuum inopiam illo anno, aut ſaltem corruptelam validè formidabis. 3

*Locuſtæ, Vermes, & Erucæ.* Locuſtarum, Vermium, Erucarum, & hu-ius picturæ Bacchi Cereríſque prædonum a-liorum,ingens idoneis temporibus facta irru-ptio, vitibus & terræ ſatis, necnon fructibus detrimentum portendit. 4

NIVES. Niues permultæ anno quopiam è cælo per-opportunè deſcendentes,frugum terræ (mo-dò cætera conſenſerint) copiam (vt grandi-nes inopiam) ſignificant. 5

Sedu-

6 Sedulus obſerua cum ſe Nux plurima ſyluis NVX.
Induet in florem, & ramos curuabit olentes: Vergil. 1.
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequẽtur: Georg.
Magnáq; cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicq̃ pingues paleæ teret area culmos.

7 Roris & pruinæ inutilem lapſum (præſertim quando prima fœtuum terræ edũtur rudimenta) tam arboribus, quàm cerealibus, & roridas herbas paſcentibus animalibus damnum dare, fidẽ hactenus fecit experientia, omni teſtimonio maior. *Ros, & pruina.*

8 Autumnus, propter arationem ſiccus, & ob ſementem ſerenus ſi fuerit: Adhæc dum floret ſeges, Ver mediocriter calidum: cerealium copiam expectabis. *Autumnus, & Ver.*

9 Auium (vt ſic dicam) greges, relictis inſulis & nemoribus, agros, villas, vel vrbes frequentare viſi: & Graculi turmatim ſyluis vale dicere itidẽ conſpecti: ſterilitatem, ac triſte neſcio quid antiquis ſemper indicarunt. AVES, *& Graculi.*

10 Vernos flores & fructus ſi vberiores quàm pro conſuetudine & habitiores intueberis: ſegetibus, autumnalibúſque diuitijs detrimentum (niſi eum errorẽ AEſtas coxerit) teſtari periculum erit. *Verni Flores, & fructus.*

11 Si quantum debent anno quopiam adoleſcent Ferulæ, ſuáq; ſemina, vt par eſt, pleniſſimè alent: fertilitatis teſtimonium exhibebunt. *Ferula, & Geneſtæ.*

bunt. Quod etiam noſtrates ruſtici Geneſtæ aſcribunt.

*Pluuia, Gelu, & Grãdo.* Intempeſtiuum & diuturnum, ſuperfluúmque pluuiarum, gelu, aut grandinis deſcenſum, Verno tempore quãdocunque obſeruabis, præſertim 12

Dum ſpicata ſeges florem molitur amœnum,
Et noua de grauido palmite gẽma tumet:

præterea Hyeme, dum adhuc eſt meſſis in herba: annonæ iacturam grauiter formidabis. Maximè in hoc terræ tractu, vbi ſiccitates (vt in totum dixerim) & ſementibus, & corporibus meliores ac ſalubriores eſſe deprehenduntur quàm imbres.

*Lentiſcus, & Scilla planta.* Lentiſcus (vt cum Arato tradidit Theon) 13 primos ſuos fructus (nam ter in anno parit) legitimos & bene nutritos ſi dederit: ſementem primam, bonam & lætam ſignificabit. ſi ſecundos, ſecundam: tertios, tertiam. Quod flori Scillæ, vel (vt herbulariorum vulgo placet) Squillæ, nonnullis etiam tribuere viſum fuit.

*Fabæ.* Tradit popularium philoſophia, quòd fa- 14 barum fertilitas (fortaſſe quia ab humiditate multa manat) alijs leguminibus, atque adeò tritico, inopiam indicere plurimùm ſolet.

*Stellæ.* Annonæ prouentui, infauſtorum aduerſo- 15 rúmque ſyderum exortus, & occaſus, congreſſus item, & radiationes, in ſatione, plantatione, germinatione, ac florum productione plerunque

runque nocere obſeruatum eſt : præterea circa illud tempus, quod extremæ maturationi pro more & natura regionis eſt accommodatum.

16 Hæc, cum ſignis terræ motus, tametſi ad Aeromantiam parum pertinere, à quamplurimis exiſtimabuntur, nihilominus hîc aſſuere conſilium fuit: amicis, quibus per deos immortales, ecquid honeſtè negesſidipſum quotidiano propè conuicio efflagitantibus.

## DE NVBIVM COLORE, ſignificatoribus, natura, & præſagijs.

1 QVAECVNQVE liuida, fuſca, ſubobſcura, & ferruginea in aere apparent, ſiue nubes, ſiue quid aliud fuerit: Saturni, vel eius naturæ fixi alicuius ſyderis, cum Sole aut alio quouis planeta emergentis, labentíſve, picturam redolere, & varia (quod ad cæli commotiones attinet) pro locorum, & partium anni ratione, necnon Saturni ad alias ſtellas configuratione, ſtatu & domicilio, variè portendere neſcius non eris. Vere, & Autumno, aeris obſcuritatem, nimbos, grandinem, frigus, pruinam & ventos alicubi, alibi tempeſtates ac niuem. Hyeme, pluuiam, nebulas, niuoſos flatus, & gelu. AEſtate, imbres, & quandoque tonitrua: in quibus tamen ventorum, & proximi Lunæ ſchematiſmi, necnon

*Nubes Saturnina.*

*Portēta nubium Saturni.*

mi, necnon quadrantis anni dominatorum ra-
tio, cum regionis natura diligenter haben-
da erit.

*Nubes Iouis.*

*Nubes Veneris, & Lunæ.*

Quæ in aere ex albo palleſcunt, ſiue nubes, 2
ſiue quid aliud, Iouem parentem, vel eius na-
turæ fixam ſtellam exortam, aut ortui matuti-
no vel occaſui veſpertino proximam agno-
ſcunt. Syncerè albicantia, Venerem, aut Lu-
nam. Propterea Vere, & Autumno, pluuiolas
per interualla mites: & ſi incraſſeſcet cælum,
repentinas pariunt. nonnunquam congelata
(hîc præſertim) aquarum granula, & niues
cum ventis non admodum ſibi conſtantibus,
perexiguas. AEſtate, ſerenitates: quanquam
Iuppiter in ſua & Martis nube, tonare pronus
eſt. Hyeme verò, pluuias, frigora niues, &
quãdoque grandinem, inuitante anni & cæli
tempeſtate, plurimùm effundunt.

*Portenta nubium Veneris.*

*Nubes Martia. & Solaris.*

*Quid in aere moueant.*

Quæ rubra, fulua, flaua, vel ex his mixta ap 3
parent: Martiam, & Solarem præfecturam,
vel fixarum ſub his militantium vires, per o-
mnia æmulari cenſentur. Vnde Vere, & Au-
tumno, ventos & (ſi grauidam nubem ſecum
habuerint) pluuias cum tonitru ſubitas ple-
runque minantur. AEſtate, intolerabilem æ-
ſtum, & (modò cætera cõſenſerint) cum vẽtis
& fulgetris tonitrua longè lateq; percrepan-
tia. Hyeme, pluuias nunc ventoſas, nunc ni-
uoſas, ſed tamen mitiori frigore ſtipatas.

Quæ varium habent colorem, & imagines 4
in aere

in aere appingunt diuerſas, Mercurium parentem, vel eius ſobolis fixam ſtellam vnam aut plures agnoſcere ferunt. Quapropter Hyeme, Vere, Autumno, & AEſtate aerem nunc in has, modò in illas cõmotiones (pro varia cæli, ſoli, & colorum natura) variè pulſant ac commouent. Quanquam ipſa picturatarum nubium variegata diuerſitas, planetarum ſyderúmque aliorum mutua radiatione aerem vaporoſum confuſè & permiſtim agitantium vires teſtari ſatis poteſt. Cuius artifices primarios de vincẽte colore, ex iam dictis elicere, facile admodum erit.

*Nubes Mercurialis, cũ ſuis portentis.*

*Colores nubium permixti, radiationes ſtellarum mixtas oſtẽdunt.*

5 Hactenus in aerias Ephemerides, hæc vtcunque luſiſſe erit ſatis. Quæ rerum cæli & naturæ ſtudioſis vel tantillum placuiſſe ſi intellexero, ſublimi feriam ſydera vertice: hoc eſt, cæleſtes ad eam methodum Ephemerides (quibus ancillantur aeriæ) dextro Mercurio perficere aggrediar.

EPHEMERIDVM AERIArum Antonij Mizaldi Monſluciani Finis.

*

# GVLIELMVS MVSTELA gymnaſij Bellouaci Lutetiæ archididaſcalus, ad Lectorem.

*Te manet vtilitas, Lector, cognoſcere motus*
*Si iuuat aerios: & tempeſtatibus ipſis*
*Edere principium: hîc poſitis ſtant ſingula ſignis.*
*Eſt mora diſcendi breuis, & labor: eſt breue tempus,*
*Ingens commoditas, quam non penſaueris auro.*
*Ergo ades, & quos dat* MIZALDI *induſtria fructus,*
*Grata ſume manu: magnum eſt prænoſcere tempus.*

## Πρὸς τὸν Ἀντώνιον Μίζαλδον καὶ λοιποὺς τοὺς μετεωρολογοῦντας, Νικόλαος Γέσων Λοθάριγγος.

Πῶς, δέομαι, τὰ ἄνω καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
Οἴδατε, ναίοντες τὴν χθόνα καὶ τὰ κάτω;
Δεῦτ᾽, ἆρα σὺν μεγάλοις γίγασι προσθέντες Ὀλύμπῳ
Ὄσσαν καὶ Ὄσσῃ Πήλιον ὑψόροφον,
Μᾶλλον δ᾽ ἠερομετρήσαντες ἅπαξ ἐνὶ ταρσῷ
Σωκρατικῷ, φράεσιν βλέψατε ἄστρα πέλας;
Ναί, τόδ᾽ ὅπως κε γένοιτ᾽, εὐδαίμονες ἄνερες ἐστέ,
Γῆθεν ἔχοντες ἀεὶ οὐρανὸν ἐμβάσιμον.

Rerum ac vocabulorum quæ in hoc opuſculo continentur index. Numerus folium denotat: a, faciem priorem: b, alteram.


## A

*Aer* 53.a.b
*Aer corpora, & cum his animos quomodo ĩmutet* 11.b
*Aer antiquæ originis diuinũ neſcio quid in ſe habet* 4.a
*Aer Hebræis quomodo accipiatur* 4.a
*Aer decretorum cæli nuntius & præco* 4.b
*Aer meteororum cellula ueluti promptuaria* 4.b
*Aer futurorũ ueluti liber* 4.b
*Aer cõmotionum auræ quaſi tabella depicta* 5.a
*Aer humidus corpora parata humectat* 38.b
*Aer uaporoſus corpora mutat & imbuit* 41.a
*Aer albeſcens* 63.b
*Aer in brutorũ corpora multum poteſt* 6.a
*Aer rubidus* 57.b
*Aeris obnubilatio à fumis craſſis* 30.a
*Aeris cõmotionũ iudicia quomodo aptanda, & pronuntianda* 14.a
*Aeris mutationũ cognitio, ad omnes pertinet* 17.a
*Aeris commotionum unde incerta certitudo* 13.a
*Aeris obſcuritas, unde* 24.b
*Aeris iudicia, cæli & partiũ eius cognitionẽ exigũt* 15.b
*Aeriarum rerum cognitio medicis neceſſaria* 17.a
*Aeromantia, copiarum præfectis neceſſaria* 17.a
*AEſtatis naturale tẽperamentum* 12.a
*AEſtus* 69.a
*Agni* 47.b
*Album & nigrum, colorum elementa* 20.a
*Aphoriſmorum omniũ cauſas cur nõ reddiderit auth.* 16.a
*Ampullæ ex pluuia quid innuunt* 36.a
*Anates* 43.b
*Anates urbanæ & agreſtes* 58.b
*Animalibus arcanum neſcio quid ineſt* 8.a

Animalia humanorum operũ æmula 7.b
Animalium partes extremæ, frigidæ 48.a
Animaliũ corpora aeris cõmotiones ſequi, & ab his affici 10.b
Animalium naturæ uariæ, & penè ſtupendæ 7.b
Animaliũ prognoſtici motus ad aerem referendi 8.a
Animalia aeris cõmotionibus, iuxta partium anni naturã obedire 9.b
Animi diuinitas, & excellentia 5.b
Animorum origo celeſtis, & fatidica 5.b
Animus ſui iuris factus, uaticinator mirus 6. a
Anſeres 43.b. 59. a. 62. a
Anſer bilioſum animal 43.b
Apes 62.b
Apes animalia imbecilla 50.a
Aquæ uires in calida natura 42. b
Aquæ puteorum & fontium 69.b
Aquæ immerſa, quantitatem mentiuntur 23.a
Aranearum pẽſa 40.b.58.b
Arbores & alia 58.a
Ardea, corporis eſt imbecilli 46. a
Areæ 53.a
Arena 37.b
Arenarũ cumuli, unde 37.b
Arietes 47.b
Arthritides 42.a
Aſelli 48.a
Aſelli & muli natura 48.b
Aues 62.a. 70.a
Aues ſtagnariæ, & fluuiales 42. a
Aues piſcariæ 66.b
Aues aquatiles 68.a
Aues paruulæ 68.b
Aues arboreæ 42.b
Auiculæ, cuiuſque generis 46.a
Aues cur nonnunquam mare fugiant 46.a
Auium uolatus 70.a
Aurora, & cælũ rubens 65.b
Auſter uocem immutat 43.a
Auſtri natura 48.a
Auſtri capita replent 48.b
Auſtri quid apud nos agere nati 24.a
Autumnus, & Ver 71.a
Autumni naturale temperamentum 12.a

B

Bellorum ſcelerata impietas 70.a
Boues 48.b. 62.b
Bruta, ſenſitiua & mortali anima prædita 6.b
Bruta unde quibuſdam rationalia exiſtimata 7.a
Brutis rationis ſimilitudo, nõ uera ratio ineſt 7.a
Brutis unde aeris præſagia 10.a
Bruta, quædam ſimplici uia præcognoſcunt 8.b
Brutis phantaſia pro ratione 9.b
Bruta electione uel intellectu nihil agunt 7.b
Bruta homine in præſagiendo inferiora 6.a
Brutorum affectus humanis ſimiles 7.b
Brutorum quorundam actiones cælo ſubſcribunt 8.a
Buculæ 49.a. 62.b

C

Cæli & partium eius in aerẽ uires 11.a
Cæli murmur 61.b
Cælum tranquillum 70.a
Cæleſtis intelligentia cauſa nõ errans 6.b
Cælo inferiora ancillari, & eius motui ſubſeruire 9.a
Calidũ uapores reſoluit 23.a
Caligo 67.a
Caligo, uel aerea nebula 64.a
Caligo cũ Sole perexigua 54.a
Caligo auſtrina, & pruina 70.b
Calor 40.b
Calor internus ſpiritus mouet 48.b
Calor uaporum funis ueluti ductarius 35.a
Calor inſolitus aquarum, unde 36.b
Calores unde inualeſcant, & quomodo 25.a
Campanarum ſoni 41.a
Campanilia 38.a
Cancri 50.b. 51.a. 62.b
Cancrorum natura 51.a
Canes 48.a. 62.b
Canum & equorum motorij geſtus unde 7.b
Capræ 47.a
Capræ edaciſſima aĩalia 47.a
Carbo & Cinis 62.a
Carbo candens 40.a
Carduus 38.b
Catarrhacta 33.b

Catus 47.b
Cauſa prima per ſecundas in inferiora agit 8.a
Cephalalgiæ 42.a
Cineres 39.b
Circulus circa ſolē 61.a.63.b
Circulus circa ſtellas 64.b
Circuli circa Lunam 56.a
Circulus uaporoſus & aerius 61.b
Circuli Lunaris natura 32.a
Circulus candidus poſt Solem 54.b
Circuli Solares 67.b
Circulorum circa ſtellas præſagia 32.b
Color quid 22.a
Color cineritius 20.b
Color æruginoſus 22.a
Color aureus eodem
Color ater eodem
Color niger eodem
Colorū ſpecies & ratio 20.a
Color niger eodem
Color albus eodem
Colores medij eodem
Color ruber eodem
Color flauus eodem
Color croceus eodem
Color uiridis eodem
Color purpureus eodem
Color fuluus eodem
Color lutheus eodem
Color rutilus eodem
Color ſpadix eodem
Color phœniceus eodem
Color rufus 20.b
Color liuidus 20.b
Color fuſcus eodem
Color pallidus eodem
Color cæruleus eodem
Color Glaucus eodem
Color cæſius eodem
Color thalaſſicus eodem
Color ferrugineus eodem
Color cyaneus eodem
Colores à rebus deſumpti eod.
Color roſeus eodem
Color flammeus eodem
Color igneus eodem
Color ſanguineus eodem
Color lutheus, rubens, & roſeus in nube, unde 25.b
Color niger circa mare, unde 37.b
Color niger in quibus fiat nubibus 31.b
Colores à radio uarij 22.b
Colores nubium tam uarij, unde 19.b
Colorum gradus 19.b
Columbi 47.a. 66.b

Cometæ 56.b. 65.a
Cometæ à quibus ſtellis promittantur 68. b
Cometes ingens 70.b
Conchæ 50.b. 63.a
Cor omnium quæ in corporibus calidiſſ. 49. a
Cornix 45.b. 66.b
Corona circa Solem, ſiue area, quid 21.b
Corona circa Lunam 61. b. 64. b
Coronæ Lunares 56.a
Corpus uniuerſum perſpirabile, & confluxile 11.b
Corpora mortalium, & illorũ hoſpites animos aeri ſubſeruire 11. a
Coruſcatio 66.a
Coruſcatio, unde 34.b
Coruſcatio matutina, & ueſpertina 57.b
Coruſcationes 65.a
Coruus 62.a
Coruus ſicca uolucris, & retorrida 45.a
Corui 44.b. 66.a

D

Delphini 59.a
Difflationes unde impediantur 40.a
Dolores quomodo per pluuias inualeſcant 42.a

E

Echini 50.b. 63.a
Echo 41.a
Eclipſium umbra 69.b
Ecnephias uentus, qui & procella 34.a
Ephemerides aeriæ quãtũ cõferant, & quibus 16.b
Ericius 59.a
Erucæ 70.b
Ἑξκαιδεκάεδρὸν Ptolem. 28.b

F

Fabæ 71.b
Faciei & manuum ſiccitas, unde 41.b
Felis lunaticum animal 47.b
Ferrum 37.a
Ferula 71.a
Fidiculæ muſicorum 41.a
Flamma 39.a. 40.a. 66.a
Flamma & lucernæ 55.b
Flammula lucernarum, & lumen 39.b
Flores uerni & fructus 71.a
Floreta 41.b
Focus 39.a
Focus, & flamma 62.a
Folia, lanugo, plumæ 58.b

Folia, puluis, paleæ 51.b
Fontium & fluuiorum exſiccationes 69.a
Fontium reſiccatio, unde 37.b
Formæ inferiores à cæleſtibus afficiuntur 8.b
Formicæ 51.b
Formica bilioſum animalculum 51.b
Fragor 38.a.40.a
Frigus 53.a
Frigiditas partium extremarum 68.b
Frondes 38.a
Fulguratio 34.b
Fulgetrum ſeu coruſcatio quid 35.a
Fulgur 57.b
Fulicæ 46.b
Fulicæ, & Ardeola 58.b
Fuligo 40.b
Fumus 40.a

G

Galaxia 64.b
Gallinæ & Galli 43.a
Gallinæ 47.a
Gallus Gallinaceus 42.b
Gallus gallinaceus Phœbi ales 8.b
Gelu 68.a
Geneſtæ 71.a
Graculi 44.b. 45.a
Graculis uoracitas peculiaris 45.a
Graculi, & aues aliæ 71.a
Graculi & Corui 62.b
Grando 68.a
Grues 44.a.47.b.62.a.66.b
Grus animal imbecillũ 44.a
Gruum natura 44.a
Guttæ pluuiæ 36.a

H

Halcyone quid, & eius natura 45.b
Halcyon 45.b. 66.a
Halo lunaris, ſeu corona 31.b
Hirundo 44.a
Hirũdo bilioſa auicula 44.b
Homo animal diuinum, & præſtãtiſſ. & rationale 10.b
Homo animal prudentiſſ. & maximè politicum 6.a
Homo cur ex aere non præſagiat 6.b
Homo ratiocinari ſolus poteſt 6.b
Homo animal mentis altæ capax 5.a
Homo quemadmodum bruta, cur in rebus aeris non præſagiat 5.b
Homo duobus ex diametro pu

gnantibus conſtat 5.b
Horizontem liberum, & undiq; peruium requirunt aeris iudicia 14.b
Horizontis ambitus quantus & area 14.a
Horizontis ratio, quantitas & alia notatu dignißima 13.b
Humidæ Aeris conſtitutiones 52.b
Hyemis naturale temperamẽtum 12.b

I

Ignis 39.b
Ignis pallor, & murmur unde 41.a
Ignes & ellychnia 62.a
Ignis & carbo 68.b
Ignium fauillaceæ ſcintillationes, unde 39.b
Ignium ſtrepitatio 40.a
Inferiora ſuperioribus ancillari 5.a
Iris 35.a. 59.b. 64.a
Iris quid, & quomodo fiat 35.a
Irin colores comitantes 35.a
Iris multiplex quid portendat 35.b
Iris lunaris natura 35.b

L

Lanæ tenuia uellera 40.b
Lapides 37.a
Lentiſcus 71.b
Ligaturæ 41.a
Ligna 38.b
Lignum 37.a
Littora 66.a
Liuor, unde 24.b
Liuor in aere nubiloſo, unde 32.b
Loca ſubterranea quando caleant 50.a
Loco cuique ut corpori ſuæ ſunt dotes & naturæ peculiares 13.a
Locuſtæ 70.b
Loligo 63.a
Lucernæ 62.a
Lucernarum ſtridor, & ſcintillatio, unde 39.a
Lucernarum flammula palpitans, unde 39.b
Lumbricis humiditas amica 50.b
Luna quibus diebus obſeruanda 27.a
Lunaris diei controuerſia, in obſeruationibus rerũ aeris, unde oborta 27.b
Luna cur die à coniunctione

nunc primo, nũc ſecundo, tertio, quartóue apparere incipiat. 27.b
Lunaris diei tertij, & quarti ratio 28.a
Luna circulis comitata 55.a
Luna crocea, uel rubicundula 55.a
Luna opaca, & obſcura 55.b
Luna ſine umbra, uel cum obtuſa 55.b
Lunæ utrunque cornu uariũ 55.b
Luna cum uariegatis orbibus 56.a
Luna pallida uel obſcura 67.b
Luna ſyncera 64.a
Luna rubens 55.a
Luna flammea 61.b
Lunæ uelocitas & tarditas obſeruanda 28.b
Lupus 49.b. 62.b
Lupus uoracitate infamis 49.b

M

Maculæ in nubib⁹ unde 31.b
Manuum & faciei cuticula
Mare 37.a 66.a
Mare naues & nauigãtes 69.b
Mare quietum 70.a
Mare & eius colores 58.a
Mergi 46.b. 58.b
Mergi & Corui 62.b
Mergi cur ad aquas excubẽt 46.b
Meridies & Septentrio 33.b
Miluius 66.b
Monedulæ 46.a
Montes 37.b. 58.a. 66.a
Montium ſonitus 61.b
Morbi 68.a
Motus calidus 45.a
Muli 48.a
Mures & Sorices 49.b
Mures ſunt cute rara & tenui 49.b
Mures 62.b
Murmur 38.a
Muſcæ 49.b. 67.a

N

Naturarum, & dignitatum gradus uarij in animalibus 10.a
Naturarũ in animalibus proprietates miræ 7.a
Nebulæ 65.a.b
Nebula, & caligo 23.b.36.a
Nebula ad Mare 66.a
Nebula 57.a
Nemorum fragor 61.b
Nigrum & denſum 21.b

Nigrũ in lucido cauum facit 21.a
Niuum copia 70.b
Nix 68.a
Noctua 46.a. 66.a
Nubes Mercurialis cum ſuis præſagijs & aeris commotionibus 73.a
Nubes Saturnina qualis 72.a
Nubis Saturni portenta 72.a
Nubes Iouis 72.b
Nubes venerea & Lunaris 72.b
Nubiũ Iouis, Veneris, & Lunæ portenta aeria 72.b
Nubes purpurea 57.a
Nubes uentoſa ibidem
Nubes montanæ 57.b
Nubes coloratæ 61.b
Nubes Martia & Solaris 72.b
Nubes unde ignea, uel punicea 23.b
Nubes æruginoſæ, & liuidæ 20.b
Nubes ruſæ, & obſcurè rubentes ibidem
Nubes uiridis & cærulea, unde 21.a
Nubium diſgregatio 65.a
Nubium propulſatio eodem
Nubes in aqua eodem
Nubes raræ 65.b
Nubes 53.a.b
Nubium ſubita regeneratio, unde 25.a
Nubes Solis comites quid portendant 25.a. 54.a
Nubes unde ruſeſcant 33.a
Nubes purpureæ quomodo ſiant, & quando 33.a
Nubium qualitas, uel quantitas, multa circa luminaria mentitur 29.b
Nubium colores permiſti, miſtas ſtellarum radiationes oſtendunt 73.a
Nubiũ picturatarum natura 19.b
Nubes rubicũdæ & raræ 63.b
Nubes ignitæ cum Sole 54.b
Nubes pallidæ 21.b
Nubium inæqualitas Soli uiã facit 24.a
Nubes quomodo à Sole liuida, uel cærulea 23.b
Nubeculæ 65.a
Nubes ut columella igneſcens 69.b
Nubecula ſtricta eodem
Nubecula gracilis & oblonga 70.a
Nux 71.a

Nycticorax 62.a

O

Obſcuritas in nube quid deſignat 33.b
Oculus ubiq; in centro ſui horizontis 14.b
Odoris ratio & natura 41.b
Oleum 39.a
Olla 62.a
Oriēs, meridies, & occaſꝰ 34.b
Oſſa luxata uel fracta 41.b
Oues 47.a. 62.b
Oues ut Agni pituitoſa animalia 48.a

P

Palea 38.a
Pallor, unde 24.b
Panni 68.b
Paraheliorum generatio 26.a
Parahelius quid differat à ſole 26.b
Paraheliꝰ & Paraſelene 56.b
Paraſelenæ quomodo generentur 32.a
Parietes 37.a
Parietes unde aquam ſtillare uideantur 37.a
Paſſer 46.a. 62.a
Paſſer, canes, & aues 58.b
Pauones 43.b. 62.b
Picus auis Martia, & picrochola 46.b
Pili, & paleæ in rebus aeris unde 51.b
Piſces 51.a
Piſces pluuiarum amantiſſimi 51.a
Plumæ 38.a
Pluuia 36.a 53.b
Pluuiæ ſigna à Luna 29.a
Pluuia, pluuiam parit 36.b
Pluuia & Nix 57.a
Pluuia, gelu, & grando 71.b
Pruina & Vapor 65.b
Pruina & Caligo 57.a
Pulices 49.b
Pulli gallinacei 43.a
Pulmones 63.a
Pyxidum opercula 41.a

Q

Quadrupedes 70.a

R

Radius in materijs paratis multa fingit 31.a
Radij quomodo craſſiores appareant 31.a
Radij cæleſtes nubium pictores 19.b
Radij Solares 40.b. 54.a
Radij Solares unde craſſiores apparent 22.b
Radios denſum obiectū quo-

modo mutet 23.a
Radiorum reflexio 22.a
Ranæ 63.a
Ranæ & Bufones 50.b
Regulus 46.b
Regionis ſitus natura, & ad cælū habitudo in aeromantia obſeruanda 12.b
Ros 35.b. 65.b
Ros, & pruina 71.a
Rubeta 46.b
Rubicūda cum Sole quid portendant 54.b

S

Sal 38.b
Scilla planta 71.b
Scolopendræ ſeu Conuoluuli 50.a
Sepiarum oſſa 63.a
Signa à præſenti aeris conſtitutione obſeruanda 15.a
Signa quomodo temperanda 52.b
Signorū collatio in Aeromantia fidiſſima eſt 15.b
Sol 59.b
Sol exor. & occ. obliquè proijcit radios 24.a
Sol obſcurus ſine nube 69.b
Sol inſtar carbonum ardentiū candens 69.a
Sol ſubfuſcus, &c. 67.b
Sol pellucidꝰ & ablicās eodē
Sol lympidus & minimè feruens 63.b
Sol & Luna uelut ſanguinei 70.a
Sol igneus uel purpureꝰ 64.a
Solaris nubes & Martia quid efficiat 72.b
Solares nubes 54.b
Solis in nubem uires 34.a
Solis facies deterſa, uel maculoſa, quid portendat 25.b
Solis radius languidulus, unde 26.a
Soles tres apparuiſſe quomodo intelligendum 26.b
Sonus terribilis 70.a
Soni multiplicatio, unde 41.a
Sphæra octaua omni genere animaliū unde ſcateat 9.a
Spiritus in omnibus impetum facientes, & motus excitantes 9.b
Splendor 65.b
Spumarum diſtributio, unde 37.b
Spumæ & Bullæ 58.a
Stellæ 61.b. 64.b. 68.a
Stellæ cadentes 56.a
Stellarum ſcintillatio 56.a

Stellarum fixarum exortus & occaſus 56.a
Stellarum quantitas cum colore mutari uiſa 56.b
Stellarum diuturnæ ſcintillationes 69.a
Stellæ orientes & occidentes 71.b
Sues 47.a. 49.b
Syluæ 38.a

T

Talpæ 51.b
Talpæ Auſtri ſponſæ eodem
Tēpeſtatis ſigna à Sole 61.a
Tēpeſtatis ſigna à Luna 61.a
Tēpeſtas quid propriè 60.b
Tempeſtas apud recentiores 60.b
Terra cū ſuis coloribus 58.a
Tonitru matutinum & ueſpert. 57.b
Tonitrua hyberna eodem
Tonitrua æſtiua 58.a
Tonitru 34.a
Tonitru in [illegible] unde 34.b
Traiectiōes 56.b.59.b.65.a
Tranquillitas & uentorū ſilentium 69.b
Trifolium 62.a
Turres 38.a
Typhon 59.b

V

Vaporum addenſatio in aere 22.b
Vapor tenuatus, in flatus abit 36.a
Vaporum natura à frigido craſſeſcit 37.a
Vaporum uiſcidorum natura 40.b
Vaporoſ9 aer in corpora quid agat 43.a
Vaporum craſſorum uis in Solem 26.a
Vapores nobis multa mentiuntur 38.a
Vapores materiā phantaſiarum præbent aeri 30.b
Varietas pro natura medij in aere magna 29.b
Ventus modicus quid agat 34.a
Venti 53.a. 57.a
Ventorum obſeruatio in iudicijs aeris non negligenda 15.a
Vētorum ſigna à Sole & quæ illum hinc inde comitantur 54.a
Ventus ingens nubes uaporoſas diſgregat 30.b
Venti meridionalis natura

42.a
Ventus 65.b. 68.a
Ventorum ſigna à Luna 55.a
Veris naturale temperamentum 12.a
Veris & æſtatis ſuperflua humiditas 70.b
Vermes eodem
Vermes & Lumbrici 50.b
Veſpæ 50.a
Veſpertilio 66.b
Virgæ aereæ, & Irinæ deſcribuntur 26.b
Virgarum aerearum portenta 26.b
Virgarum aerearum colores 27.a
Virgarum, & Parabeliorum cauſa 27.a
Vitrum 37.a
Vitulæ 48.a
Vocis mutatio, unde 44.b
Vocis congeminatio unde 43.b
Volucrum agmina 42.a
Vulnera antiqua 41.b

Z

Zonæ pelliceæ 41.a

FINIS.

## Errata ſic corrigito.

Fo.3.pag.1.verſu penultimo pro σὴρ, lege σὺρ.

Fol.eod.pag.2.verſu 3.lege ἄικι. Ibidem expunge notulam diſtinctionis poſt καὶ ἐς. Sequente verſu pro Ξίυς ſubſtitue Ζίυς.

Fo.18.pag 1.verſ.11.pro 12.lege 11.

Fol.eodem pag.2.ver.1.pro 53.repone 54. Ibidem ver.7.pro 6.ſcribe 5. Ibidem ver.9.pro 12. repone 11. Ibidem ver.14.pro 3.lege.5. Ibidem verſu vltimo pro 376. repone 378.

Fol. 19.pag.2. ver.11.expunge initium parentheſis.

Fo.25.pag.1.ver.4.ſcribe παλιγγενισία.

Fo.3.pag.2.verſu 5.ſcribe πάντῃ.